PHILOSOPHIÆ GNOSTICÆ ORIGINES DISSERTATIO...

Johannes Hildebrand

PHILOSOPHIAE GNOSTICAE ORIGINES.

DISSERTATIO

HISTORICO-PHILOSOPHICA.

AUCTORE

J. HILDEBRAND.

BEROLINI,
BURMEIS ER ET STA

VIRO

CELEBERRIMO, DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

C. E. BONNELL,

GYMNASII FRIDERICO-WERDERIANI, QUOD BEROLINI FLORET, PROFESSORI ET DIRECTORI,

PRAECEPTORI DILECTISSIMO SUMMEQUE COLENDO

HASCE

LITTERAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Argumentum, quod illustrandum sumsi, quamvis et diligenter tractatum esse et praesertim hac nostra aetate tritum omnes fere arbitrentur, idem tamen quin gravius sit dissensusque de eo major, quam ut repetita expositio aut flagitari aut admitti nequeat, neminem fortasse invenies, qui dubitet. Quodsi igitur, quidquid de eo censendum sit, in tanto, quem modo notavi, virorum doctorum dissensu, denuo inquiram et ad tenebras, quibus quaestio circumsessa adhuc tenetur, dissipandas nonnulla afferre studeam, oleum atque operam perdidisse, nequaquam mihi videor.

Doctrinam gnosticam virorum doctorum plurimi, in illa tractanda versati, ab uno tan-

tum systemate profectam putant: sive a quadam philosophia orientali, ut **Moshemius** (de rebus christ. ante Const. M. commentarii p. 179. Helmstad. 1753. — Id. instit. hist. eccles. N. T. Pars II. 1. c. 1. p. 56. — Id. instit. eccl. maj. sect. 1. p. 136 sqq.) vir de philosophia gnostica enucleanda alioquin meritissimus, **Bruckerus** (hist. critic. philos. Lips. 1742. Tom. II. p. 639 sqq.) aliique demonstrare conati sunt: sive a philosophia graeca, praecipue Platonica, ut **Patres Ecclesiastici** se qui eos secuti sunt, **Vitringa** (observat. sacr. lib. 5. c. 13.), **Beausobre** (hist. critique de Manichée et du Manichéisme. Amsterd. 1734. 39. 2 Voll. 4.): sive a Zoroastris doctrina, quemadmodum **Hornius** (die bibl. Gnosis. Hannov. 1805. 8.), **Lewaldus** (de doctrina gnost. Heidelberg 1828. 8.): sive ab Indorum doctrina, ut **Luecke** (Comment. über d. Schriften des Evangelist. Joh. Th. 1. p. 206 sqq.): sive a Buddhae doctrina, ut **Schmidt** (Ueber die Verwandtschaft der gnostisch-theosoph. Lehren mit den Religionssystemen des Orients. Leipz. 1828. 4.): sive a Cabbala Judaeorum, ut **Buddeus** (dissert. de haeresi Valentinianor. in. ej. introd. in hist. philos. Ebraeorum; cf. lib. de

eccles. apostolic. p. 393.) et Kleukerus (über die Natur und d. Ursprung der Emanationslehre bei den Kabbalisten. Riga. 1786.): imo a religione christiana ipsa, ut Moehlerus (Versuch über d. Ursprung der Gnostiker. Tübing. 1831. 4.); qui vero omnes viri docti unum philosophiae gnosticae elementum praecipue spectantes ideoque unum systema doctrinae gnosticae fontem proponentes de origine ejus quaestionem obiter tantum tetigerunt. Neander (genet. Entwickel. der vornehmsten gnost. Systeme. Berl. 1818. 8. — Id. Kirchengesch. Hamb. 1826. Th. I. 2.) philosophiam gnosticam accuratius explicavit: primus dogmata singulorum Gnosticorum stricte examinans et varia elementa iis insita secernens eorum nexum interiorem evolvere atque ex eo singulos Gnosticos dignoscere studuit. Matter (hist. critique du gnosticisme. T.II. Paris 1828. 8.) magno quidem fontium studio excelluit: at Gnosticos ex sola cohaerentia exteriori divisit et varios fontes, e quibus illos doctrinam depromsisse dicit, magnopere confudit, imoque falsos, ut Cabbalam, statuit. Baur (d. christl. Gnosis. Tübing. 1835. 8.) optime quidem de philosophia gnostica explicanda meruit, prae-

cipue cum non solum fontes accuratissime examinarit, sed etiam magnam doctrinae gnosticae vim adhuc non satis cognitam monstrarit, ejusque indole ac pretio philosophico enodato, singulorum Gnosticorum systematum et dogmatum cohaerentiam tam interiorem quam exteriorem explicarit: attamen philosophiae gnosticae nimium tribuens et quam plurimos ejus sectatores statuens, nonnulla obscuravit. Quantumcunque autem hi viri doctissimi philosophiam gnosticam excoluerunt, quaestionem tamen de origine ejus difficillimam adhuc reliquerunt. Qua de re sententias diversas mihi persuasum est ita tantum inter se conjungi vel refutari posse, et ostendatur, quomodo philosophia gnostica historice se evolverit. Itaque ad solvendam de philosophiae gnosticae origine quaestionem, viam historicam, quam nonnulli quidem significarunt, neque vero iniستiterunt, ingressurus sum: ita enim doctrina gnostica singulari studio, ut viri doctissimi demonstrarunt, jam per se haud indigna, majoris momenti apparet. Tantus cum existat virorum doctorum de doctrinae gnosticae origine dissensus et historia antiqua magnas offerat difficultates fonteque, e quibus haurire possumus, sint et pauci

nec hactenus satis explorati ac magna ad rem illustrandam scientiae copia sit necessaria, illa via, quam equidem calcaturus sum, scilicet valde lubrica est; quaestionem tamen positam hac ratione sola perspicue explicari posse mox quisque intelliget.

Ordinem si quaeris in dissertatione observandum, haecce notanda. Dividitur quaestio in quinque capita. Quum enim linguae historia sit accuratissima cogitationum historia, primum inquiram in voces γνῶσις et γνωστικός, qua significatione gaudeant. Adnectitur expositio Gnosticorum dogmatum, quae omnibus sunt communia, ut in detegendis fontibus statim manifestum sit, quaenam placita hinc vel illinc sint sumta. Quare dogmata, quibus Gnostici inter se differunt, respicere non omisi. Dicens autem de Gnosticis sectam in homiliis Pseudo-Clementinis descriptam et Manichaeos, qui tantum dogmata gnostica late esse propagata demonstrant, excludo, cum, quod ad doctrinam de mundi creatore attinet, in qua omnes Gnostici consentiunt, ab iis differant. — Posthac de philosophandi ratione, qualis antiquissimis temporibus inveniatur, disseram, atque philosophia, quam vocant orienta-

lem, ad doctrinam gnosticam conformandam cum maximam habuerit vim, quatenus hujus dissertationis fines permittunt, accuratius eam exponam. — Tum de philosophandi genere, quod Persarum imperii aetate floruit, disputaturus sum. — Deinde philosophandi rationem, qualis Alexandri Magni ejusque successorum temporibus viguerit, eruam: denique qualis primis aerae christianae saeculis apparuerit. — Quamvis omnia, quam accuratissime potui, explicaverim, tamen ut singula ab omnibus partibus uberrime illustrentur dissertationem non permittere existimo.

Caput I.

De nomine et natura philosophiae gnosticae.

§. 1.

Gnostici nomen habent a voce γνῶσις, quae vox omnino exprimit intelligentiam, cognitionem: γνωστικός igitur designat hominem cognoscendi facultate instructum. In veteris testamenti versione graeca γνῶσις significat scientiam altiorem: Jes. 47, 10. — 1 Sam. 2, 3 Deus appellatur γνώσεων κύριος, et vox γνώστης significat hominem, qui in rebus divinis versatus est [1]). In N. T. vox γνῶσις eandem habet significationem; 1 Timoth. 6, 20 Paulus apostolus loquitur de scientia sublimiori, qua nonnulli gloriabantur et quam, cum cognitioni christianae repugnaret, falsam (ψευδώνυμος γνῶσις) nominat. In epistola, quae Barnabae adscribitur, in multis locis

1) Cf. Schleusner, nov. thes. philol. crit. in LXX. Tom. I. sub voce γνῶσις. — Michaelis, dissertatio de indiciis philosophiae gnosticae etc. In Synt. comment. Goetting. 1767. Tom. II. — Matter, hist. critique du gnosticisme. Tom. I. p. 119.

vox *γνῶσις* altiorem rerum divinarum scientiam significat [1]). Vocem *γνῶσις* igitur jam dudum, antequam Gnostici exorti sunt et ipsis eorum temporibus, rerum divinarum, aeternarum et infinitarum cognitionem sublimiorem significasse apparet. Quae significatio optime quadrat ad Gnosticos. Gnostici enim res divinas aeternasque considerandi vel potius percipiendi studio prorsus occupabantur atque earum scientiam singularem prae ceteris sese possidere gloriabantur eamque *γνῶσιν κατ' ἐξοχὴν* [2]) nominabant, se ipsos vero *γνωστικούς* [3]), quippe qui ad scientiam sublimio-

1) Cf. Baur, d. christl. Gnos. p. 85 sqq. — Neander, Kirchengesch. I. 2. p. 628.

2) Dei naturae scientia sublimiori gloriabantur Gnostici, Deum verum a se ostendi hominibus praedicabant, quare suos crebro exhortabantur: *βλέπε, βλέπε πρὸς θεόν*. Cf. Plotini lib. contra gnost. Cap. 15. Opp. p. 214. — Recognit. Clement. lib. II. c. 60. 68. p. 532 sqq. — Epiphan. haeres. XXV.: atque hinc hi, qui falso appellatam *scientiam* jactant, in mundo exoriri coeperunt, Gnostici inquam etc. — Irenaeus, advers. haer. lib. I. praefat. *ἀπάγοντες αὐτοὺς προφάσει γνώσεως*. — J. L. Moshem. Instit. hist. eccl. N. T. Pars II., sect. 1., c. 4. §. 4. — Platonem in Dei profunditatem non penetrasse, sed se solos in eam descendisse Gnostici contendebant. Cf. Porphyr. vitam Plotini in Fabric. bibl. graec. Vol. IV. p. 118. — Iren. I. 9, 1.

3) Iren. contr. haer. lib. IV. c. 9 §. 4. ed. Massuet. p. 234.: falsam aliquam esse memorat sententiam quemadmodum proposita sit a Marcione vel a Valentino — aut reliquis *falso cognominatis Gnosticis* — Epiph. haer 31, 1.: *Φάσκες γνωστικοὺς ἑαυτοὺς ὀνόμασαν, Οὐαλεντῖνος τε φημὶ καὶ οἱ πρὸ αὐτοῦ γνωστικοί*. — Chrysosth. homil. 18. in prima epist. ad Timoth. Opp. Tom. VI. p. 591. ed. Lutet. 1633.: *ἢ τάχα τοῦτο φησὶ διότι τινὲς ἑαυτοὺς ἐκάλουν τότε γνωστικούς, ὡς πλέον τι τῶν ἄλλων εἰδότες*. — Porphyr. l. c. — Moshem. Instit. hist. christ. maj. saec. 1. p. 137. — Bruckeri hist. crit. philos. Tom. II. p. 641 sqq. — Thomasius, origg. hist. philos. et eccles. (Hal. 1699) §. 39.

rem sibi comparandam altioraque percipienda se solos idoneos haberent. Itaque philosophia gnostica in universum Dei rerumque divinarum scientiam sublimiorem significat ac continet; quatenus autem haec notio accuratius sit definienda, adhue videbimus. Quaeritur nunc, qualis sit haec scientia.

§. 2.

Quamquam Gnostici in multas ac varias discedunt sectas, consentiunt tamen in doctrinae principiis et summis capitibus, quae uatura sua ita sunt comparata, ut proprium et peculiare aliquod habeant, quo facile distinguuntur et agnoscuntur. Has igitur Gnosticorum sententias communes breviter comprehendere mihi proposui, neque vero plane praetermisi, de quibus inter se dissentiunt, ita ut in aperiendis fontibus statim eluceat, unde singula dogmata sint petita.

Omnium Gnosticorum systemata ordiuntur a notione Dei infinitae essentiae profundo mysterio reconditi (πατὴρ ἄγνωστος, προπάτηρ, προάρχη, βυθός, ἀκατονόμαστος) nec nisi eximia mentis elatione [1]) assequendi et comprehendendi, cujus ideae, ubi paulo uberior exstat ejus virtutum descriptio, lucis purissimae effigie et symbolo expressae apponuntur aeternitatis, immutabilis bonitatis et beatitudinis attributa [2]). Deo

1) Quo etiam verba referenda sunt: βλέψι, βλέψι πρὸς θεόν. — Se solos in Dei profunditatem penetrasse, Gnostici optabantur. Cf. Porphyr. l. c.

2) Cf. Iren. adv. haer lib. 4. ed. Massuet. Paris 1710. fol. — Tertull. opp. ed. Rigaltius. Paris 1635 et 1641. 2. fol. praesertim ej. lib. adv. Valent., lib. 3. adv. Marc., de praescr haer. — Clemens Alex. opp. gr. et lat. cura Sylburgii 1592. fol. — Origenes, opp. gr et lat. studio Carol. et Vincent Delarue Par. 1733 — 59. 4. fol. in mult. loc. — Epiphanius, lib. 3. adv. haer.

autem obstat materia (ὕλη) a lucis splendore et mobilitate quam plurimum distans omniumque malorum ac pravarum cupiditatum, quibus vexantur homines, mater et causa. Materia aut aeterna [1]), aut tempore orta [2]) omni forma caret, inanimata est (κένωμα, κενόν, χάος) vitamque demum, dum divini quiddam cum ea se commiscet, accipit, quo facto agere inchoat et Satanam ex se procreat; aut ut Gnosticorum plurimi contendunt, cum Deo ab aeternitate animata, animantia ex se producendi facultate praedita existit: quae tenebrarum symbolo effingitur et pro mali regno, quod a Satana gubernatur et Deo vel lucis regno repugnat [3]), habetur.

---

opp. Tom. I. ed. Petavius. Par. 1622 fol. — Moshem de reb. christ. ante Const. M. comment. Helmst 1753 8. 60 sqq. — Lewald, comment. de doctr. gnost. Heidelb. 1828 8. — Neander, genet. Entw. der vornehmsten gnost. Syst. Berl. 1818. 8. Id. Kirchengesch. Hamb. 1826. 8. — Matter, hist. crit. du gnost. Strasbourg 1828. 8. — Baur, d. christl. Gnosis. Tüb. 1835. 8. — Doellinger, Kirchengeschichte Landshut 1833 8 I. 1. p. 204 sqq. — Herder, Aelteste Urk. des M. G. Tübing. u. Stuttg. 1827. Th. 3. Opp. T. VI. p. 136 sqq. —

1) Bardesanes, Tatianus, Ophitae. Cf. Iren. I. 30 — Epiph. haer. 37. — Neander, Kirchengesch. I. 2. 640. 762. 763 sqq. — Baur, l. c. 208.

2) Sic Valentinus Gnosticus docet. cf. Iren. l. c. lib. I c. 1—8. Secundum Valentini sententiam materia non est aeterna, nascitur et fit animata aeonis cujusdam (Achamoth) a Deo defectione. Valentinum materiae aeternitatem non posuisse, jam ex eo apparet, quod dicit, sub mundi finem omnia ipsamque materiam deletum iri (Iren. I. 6, 1. — I. 7, 1.). Haec enim sententia aeternitatis notioni repugnat. Quod aeternum est, interire non potest. Iren. lib. I. etiam dicit, omnes materialia ex aeonis cujusdam doloribus esse ortum. Cf. Baur, (l. c. p. 161 sqq.) qui latius de hac re disserit.

3) cf. Basilidis, Saturnini, Marcionis aliorumque doctrin. —

§. 3.

E Deo supremo optimo et immediate et mediate emanarunt [1]) aeones, Dei attributa, virtutes, ideae factae substantiales, quae tanquam spiritus coelestes cogitantur, quorum sunt varii ordines, cum superiores, tum inferiores, tam perfectiores, quam imperfectiores, quatenus Deo supremo sunt propiores vel ab eo remotiores. Hi aeones mundum intelligibilem, πλήρωμα seu mundum, qui mente tantum neque oculis cernitur, efficiunt [2]). A mundo intelligibili mundus inferior, sensibilis, cujus natura est fragilis et vicissitudini, vitiis, miseriis, exitio obnoxia, quam longissimo intervallo sejungitur, secundum autem nonnullorum Gnosticorum sententiam mundi intelligibilis imago [3]). Propterea hic mundus visibilis non conditus est a Deo supremo, sed a spiritu inferiori (δημιουργός) sive

---

Homil. Pseudo-Clement. h. 19. § 14. opp. P P. apostol. e Clerico ed. Amstel. 1724 fol. Vol. I. p. 754. Marcion tria principia, ut annalis valeat, non statuit. materiam, satanam et demiurgum, qui per se ab aeterno existat, ut Baur accurate explicavit l. c. p. 240 sqq. Demiurgum ex Marcionis doctrina a Deo emanasse pro certo haberi potest. Cf. Neander, Kirchengesch. I, 2. p. 793. — Rhodon, eccles doctor, Marcionem duo tantum principia (δύο ἀρχάς) statuisse dicit. Euseb. 5, 13.

1) Haec emanatio exprimitur effigie lucis, ex immenso foco effluentis radiosque quaquoversus spargentis, seu symbolo fluminum ac fontium, qui ex uno mari emanantes in totam terram effunduntur, seu (ut Pythagoras jam existimavit, Aristot. metaph. 12, 6—8) symbolo numeri primarii, ex quo numeri in infinitum se immutantes egrediuntur; seu tanquam pronuntiatio vocum et syllabarum, quorum elementa omnia in voce primaria clauduntur.

2) Cf. Suicer. thes. eccl. sub voc. αἰών et πλήρωμα.

3) Sic Valentinos. Iren. I. 7. 2. II. 7. 1. Tertull. de anim. c. 16.

solo, sive cum pluribus conjuncto [1]) et quidem e materia, aut Dei injussu, quadam spiritus alicujus ab eo defectione [2]) adeoque contra eum seditione [3]), aut Deo permittente, animarum saluti quia ita consuli ac prospici vellet [4]), cum tenebrarum regnum permixtum esset cum lucis regno [5]). Quot vero gradibus mundi conditor a Deo distet et qua natura praeditus sit [6]), magna est controversia. In hoc autem Gnostici conveniunt, quod mundi conditor natura sit imbecilla et propterea res solas mancas et debiles procreare possit. Omnes Gnostici contendunt, mundi conditorem eum esse Deum, qui in vetere testamento manifestetur, idque ipsum esse revelationem mundi opificis [7]). Quum enim in V. T. divinitatis notionem ubicunque imagine ab analogia rerum visibilium desumta adumbratam animadverterent Gnostici ac Deum quasi humanis affectibus ejus majestate indignis commotum virtutibusque humanis indutum se invenire putarent, ab inferiori aliquo numine legem propositam esse affirmabant:

---

1) Gnosticorum plurimi unum tantum mundi opificem putant et qui plures ponunt inter eos tamen principem admittunt, ut Saturninus, Basilides, Carpocrates. Cf. Iren. I. c. 24 §. 4. c. 25. §. 4.

2) Valentinus, (Iren. I. 2, 1 sqq.) Bardesanes, Ophitae. (l. c.)

3) Sic Carpocrates.

4) Iren. II. 9, 1. 3 Clemens Alex. strom. lib. 4. p. 509. — Basilides.

5) Basilides, Saturnin

6) Nonnulli Gnostici (Valentinus) mundi conditorem natura imperfecta, debili, Dei ministrum esse dicunt, alii (Marcion) eum inter malum et bonum medium, imo alii (Ophitae, Carpocrates) malum Deique voluntati prorsus repugnantem statuunt.

7) Iren. I. 24, 4. 25, 4

quatenus autem religioni judaicae plus minusve favent, magnopere inter se differunt [1]).

§. 4.

Corpus hominis a mundi conditore e materia formatum est, itaque mali sedes odioque habendum. Hominis autem anima duplex est: anima (ψυχή), qua sentimus et vivimus, quae a demiurgo originem deducit ideoque mala vel imbecillis est, hominem alliciens ad materiam vel tamen ei non obsistens, spiritus (πνεῦμα) seu anima ratione praedita et a Deo supremo profecta ideoque bona, malae opposita [2]), unde etiam magna inter homines diversitas, quatenus hanc vel illam sequuntur [3]). Anima autem coelestis, ut culpae in

---

1) Nonnulli Gnostici non plane malum mundi conditorem habentes, in V. T. veritatem occultam agnoscebant et religionem judaicam institutum divinum, quod ad religionem christianam praepararet, putabant: sic Cerinthus. Alii vero, qui mundi opificem spiritum malum et infestum existimabant, V. T. institutum tale habebant, quod homines mundi conditoris servitute atque ignorantia obstrictos teneret.

2) Marcion, Saturnin. Tertull. adv. Marc. lib. 2. c. 9. (de demiurgo, animarum auctore). Valentinus dilucide distinguit animam et spiritum. Iren. I. 5, 6 6, 1. Basilides quoque de diis animae rationali adhaerescentibus disserens duas animas statuit. Clemens Alex. strom 2, 20. Baur, l. c. p. 213 sqq — Isidorus, Basilidis filius, clare distinguit duas animas sibi obstantes (Clem. Alex. 2, 25.): idem Ophitae (Mosh. unparth. Ketzergesch. p. 32 sqq).

3) Saturninus, verbi causa, duo hominum genera esse docebat, naturali animi habitu et ingenita mentis indole diversissima. Iren. I. 24, 2. Epiph. haer. 23. ed. Basil. p. 33. Theodoret. fab. 1, 3. — Valentinus ex tripartita generum divisione hominum ingenia distinguens τοὺς πνευματικούς, insita virtute ad optima voluntate eligenda proclives, τοὺς ψυχικούς, inter ho-

priori vita commissae poenam luat, in corpus defertur, aut proprio quodam nutu lucis particulas, quibuscunque potitur, illecebris suis attrahens in materiam declinat [1]; aut ut imbecilla et puerilis rerum inferiorum usu in virilem fortitudinem crescat, deorsum mittitur ac seminis instar reliquis hominis partibus inseritur [2]. Ut vero anima ad aeterna erigenda a materiae vinculis liberaretur, mundi opificis potestas everteretur et Deus bonus adhuc ignotus hominibus revelaretur, **Christus** suprema Dei virtus vel ex aeonibus superioribus unus e mundo intelligibili a Deo supremo in terram missus est. Christum autem, Dei filium, vere hominem factum esse humanamque sortem subiisse, ut profiterentur, materiae aestimatio haud permittebat, nedum passum et mortuum esse eum affirmare voluerint. Quapropter aliis umbra tantum et specie corporis [3], aliis coelesti et aethereo corpore vestitus [4] Christus videbatur: alii Jesum a Christo distinguebant [5].

Adjuvante Christo anima (πνεῦμα), ut malum in

---

sum malumque medios, τοὺς ψυχικούς, nativa vitiositate statuebat. Iren. I. 6, 1. 7, 5.

1) Basilides animam coelestem in hoc mundo quasi advenam praedicat Clem. Alex. strom II. 3. p. 433. 434. lib. V. c. 1. p. 644. 645. lib. IV. c. 26. p. 638.

2) Valentiniani, Iren. I. 5, 6. 6, 1.

3) Qui Docetarum nomine comprehenduntur, Christum cruci esse affixum negabant, sed loco ejus vel Judam vel Simonem. Saturnin., Marcion. — Niemeyer, comment. de Docet. Halae 1823. 4.

4) Valentiniani. Iren. I. 6, 1. 7, 2.

5) Jesum modo naturali ortum esse fatebantur, Christum autem de coelo descendentem vitia corporis illius correxisse, imminente perpessionum tempore in coelum Jesu relicto sublimem abiisse Cerinthus, Ophitae Iren. I. 26, 1.

corpore habitans oppugnet, ad Deum sese efferat, magis magisque a corporum vinculis se liberet iisque ac vitiorum labe infecta soluta in mundum superiorem redeat, conari debet. Ad hunc vero assequendum vita et contemplativa et ascetica plurimum proficere plerisque videbatur. Proinde plurimos invenimus celebrium sectarum conditores austeriora praescripta suis reliquisse: quae vero tristis et severa initio morum disciplina relaxata deinde ac dissoluta est [1]).

Exitum denique omnium, quae animis eventura sint, eum fore existimabant, quod animae bonae statim post mortem a corporum vinculis solutae in mundum superiorem ac meliorem sint transiturae: malae autem sustentis demum quibusdam purgationibus [2]) in eum reversurae. Finem autem hunc mundo imminentem ita descriptum videmus, ut rerum universitas Deo supremo et optimo subjicienda aeternoque ejus imperio beanda praedicetur, delenda vero et exstirpanda aut superanda certe aut domanda dicantur, quaeque ei obsistantur [3]). Dogma de corporis resurrectione a Gnosticorum ingenio, materiam cum mali causam baberent, plane abhorrebat [4]).

1) Clem. Alex. strom. lib. III. c. 5 p. 540. Epiph haer. 26. Moshem. inst. hist eccl. N. T. Pars II. sect. 1. c. 4. §. 9 sqq. —

2) Carpocrates metempsychosin statuit Iren I. 25, 4. Basilides etiam eam docet. Clem. Alex. strom. IV. 506—8 II. 383. Origenes, comment. in ep. ad Rom. lib. V.

3) De animis ad altiora transferendis, de materia igne consumenda cf. quae tradebant Valentiniani apud Iren I. 7, 1. Eorum, qui duo principia e contrario sibi obstantia fingebant, alii Deum solum in aeternum esse duraturum, alii adversarium ejus exitio haud obnoxium sed minus validum quam eum esse idemque ei subjici posse docebant, cf. dialog. de rect in Deum fide in Orig. opp. ed. Delarue Tom I. sect. 3. p. 835 sqq. —

4) Plura alia adhuc Gnostici v. g. de cognoscendi fontibus,

Adumbratis nunc principiis philosophiae gnosticae communibus, sua sponte existit quaestio de origine ejus et fontibus, unde profecta videri possint. Quidquid enim in singulis Gnosticorum systematibus excolendis et absolvendis adventitio temporum et locorum ef-

de ecclesia, de traditione contenderunt, quum vero et minoris in nostrum finem sint momenti et maxima in his existat opinionum differentia, praecipua tantum omnibusque communia commemorabimus. Gnosticorum plurimi fereque omnes (praesertim qui in Aegypto nati et educati erant) superstitiosam astrorum scientiam sententiis suis afferebant. In artibus magicis exercendis, carminibus praestigiisque, quibus spiritus, qui rebus humanis praeessent ac sapientum virorum servirent voluntati, cogi posse putabant, valde versabantur: quod non mirum, si perpendis, Gnosticos tantopere esse occupatos mondo incorporeo. Iren. I. 25, 3. 23, 5. — Ut doctrinam suam a Christi decretis in N. T. asservatis alienam, contra Christianorum impetus munirent, Gnostici omnes, solo Marcione excepto, duplicem fuisse Christi disciplinam dicebant, publicam vel plebejam et secretiorem vel sublimiorem: illam N. T. libris comprehendi, ad hanc a Christo per apostolos (2 Timoth. 1. 12) ad se delatam sibi solis patere aditum. Iren. I. 25, 5. 4, 5. Clem. Alex. strom. VII. c. 17. Neander, Kirchengesch. I, 2. p. 783. Doellinger, Kirchengesch. I. 1. p. 236 sqq. — Multi libros sacros depravare et ad sensum suum refingere conabantur: haud pauci nonnullas rejiciebant et in eorum locum alias epistolas, quibus nomine familiarium Christi v. c. Thomae praescribebant, substituebant. Cf. Clem. Alex. strom lib. I. c. 15. lib. VI. c. 6. — Euseb. hist. eccles. lib. IV. c. 7. Epiph. haer. 26. §. 8. Beausobre hist. crit. de Manichée et du Manichéisme. Amst. 1734. 39. Tom. I. p. 344 sqq. In scriptura sacra explicanda allegorica interpretandi ratione usi sunt. Marcion solus eam repudiabat atque interpretationem ad verbum factam adhibebat. Cf. Neander, Kirchengesch. l. c. Id. genet. Entw. p. 282. — In sacris etiam ritibusque symbolicis instituendis singularia quaedam habebant nec cum ceteris Christianis communia. Sacra mysteria nonnulli plane rejiciebant, alii admittebant, non omnibus vero impertiebant, sed solis initiatis.

fectui singulorumque, qui sectas condiderant, solertiae sit tribuendum, dogmata praecipua omnium communia, satis nobilia et quoad philosophandi genus insignia, plane fortuito consensu conspirare haud facile dixeris; quae sicut ipsa austeriorem et rerum divinarum humanarumque consideratione graviter commotam mentem, dum prodant, non ab otioso et luxuriante ingenio ex tempore esse ficta, vix inspecta declarant, ita interno externoque eorum habitu attentius observato, veterum religionum et philosophiae historiae analogiam si sequi volumus, non uno eodemque momento illo, quo in lucem prodirent, simul suborta omnis atque ab omni parte perfecta aestimabimus. Itaque, quomodo singulae, quae insunt doctrinae gnosticae, ideae via historica explicitae sint, demonstrabitur.

Caput II.

De philosophandi ratione, qualis ante Cyri, Persarum regis, imperium floruerit.

§. 5.

Magna philosophiae gnosticae originem illustrandi difficultas praecipue in eo erat posita, quod Orientis cognitio crassis adhuc circumfusa erat tenebris. Multi enim, cum observarent, Gnosticos fere omnes in Oriente natos et educatos esse, doctrinam ipsos ibi propagasse illamque etiam a philosophia graeca magnopere differre, recte judicarunt, quandam philoso-

phandi rationem, qua Gnostici usi sint, in Oriente exstitisse. Moshemius aliique istius philosophiae fontes ignorantes illam omnino philosophiam orientalem, quin accuratius eam definire possent, appellarunt. Cum autem Oriens per peregrinatores doctos nunc magis apertus sit, disquisitiones de populorum veterum arte symbolica et mythologia accuratiores institutae litteraeque atque ars critica historica magnopere excultae sint, illa philosophia ipsa cognosci ac distincte definiri potest. Philosophiam vero, quam vocant orientalem, cum sit de ea sermo, non intelligas systema philosophicum aut definitam et puram philosophiam, quae per Graecos apparet: philosophia orientalis potius religione librisque sacris innititur; antiquissimis tamen temporibus quin quaedam de Deo, de mundi origine, de homine rebusque similibus dogmate philosophica in Oriente exstiterint, dubitari nequit.

Sunt enim Indi et Medi, apud quos quidam philosophandi modus, Dei rerumque divinarum scientia sublimior jam, antequam historia certa incboat, reperitur. Cum autem libri Indorum sacri ipsi in linguas occidentales adhuc nondum conversi nec diligenter examinati sint et historia antiquissima valde sit obscura, demonstrari quidem nequit, illorum populorum utrum alter ab altero didicerit nec ne: comparanti vero utriusque populi theologiam philosophicam, eos ex uno eodemque fonte, gentis scilicet cujusque institutionibus atque imperii formis accommodato propriisque sententiis commixto, hausisse, satis perspicuum. Indos a Medis vel Persis, ut nonnulli contendunt, accepisse philosophiam [1]), doctrinam Medo-Bactrianam

1) Cf. Horn, bibl. Gnos. (Hannov. 1805. 8.) p. 103 sqq. 192 sqq. —

Indum flumen jam tum transiisse, argumentis historicis minime probatur. Summa potius Indiae antiquitas atque Indorum librorum sacrorum indoles simplex et vetusta, commercia inter Indiam aliaque Asiae regna ante Cyri imperium continua,[1]) Indorum philosophiam omnis philosophandi rationis orientalis esse fontem, aliter a quoque populo postea formatum magisque excultum docere videntur.[2]) Sicuti autem apud omnes populos orientales una tribus nempe sacerdotum majori ac sublimiori doctrina excellit, sic etiam apud Indos et Medos sacerdotum ordo altiori religionis scientia eminet; itaque semper discernendus est sacer Deorum cultus publicus a sacerdotum virorumque sapientum eruditione, qua Dei ac rerum divinarum notiones emendantur et excoluntur.

§. 6.

Indorum philosophiae, de qua detegenda bene meruerunt Holwell, Paullinus, Jones, Polier, Anquetil du Perron, Colebrooke [3]),

---

1) Heeren, über d. Politik, den Verkehr u. Handel der vornehmsten Völker der alten Welt Gött. 1824. 4te Ausg. De India cf. I., 3.

2) Hammer, Gesch. der schönen Redekünste Persiens. Wien 1818. — Anquetil du Perron in ed. Zend-Avest. — Jones dissertations and miscellaneous pieces relating to the history and antiquities, the arts, sciences and literature of Asia, Lond. 1794 sqq. Deutsch von Fick, mit Zusätzen v. Kleuker. Riga, 1795. 8.

3) Holwell, interesting historical events of Bengal and the empire of Hindostan. 3 Tom. Lond. 1766. 8. Deutsch von Kleuker. Leipzig, 1778. — Paullinus, systema brahmanicum liturgicum, mythologicum, civile, Rom. 1794. 4. — Jones l. c. — Polier Indorum libros sacros (Vedas) in Angliam transtulit, et in museo Britannico deposuit. — Anquetil du Perron, Oupnek'hat, i. e. secretum tegendum, opus ipsa in India rarissimum, continens

summa est: omnium rerum e Deo emanatio earumque ad ipsum reditus. Docent enim: est ens supremum, aeternum, corpore non indutum, perfectissimum — Parabrahmâ, ¹) - Baout - βυθός -, cujus lumen omnia replet, animat, penetrat. Deus solus est, mundus tantum videtur esse, quo mundi anima conspicitur ²). Numen supremum est omnium rerum fons ideoque comprehendi non potest ³): nulla habet templa, nullo proprio gaudet cultu. Ex hoc numine, ante creationem quiescente ⁴), omnia, quae

antiquam et arcanam seu theologicam et philosophicam doctrinam e quatuor sacris Indorum libris excerptam, ad verbum e persico idiomate, Samscreticis vocabulis intermixto, in latinum conversum; dissertationibus et annotationibus, difficiliora explanantibus 2 Tom. Argentor. 1801 sqq. 4. — Hoc opus epitome ex omnibus Indorum libris sacris est. Injuria nonnulli (Rotteck, allgem. Gesch. I 282), imprimis Angli (Jones) in Anquetil du Perron virum doctum ac peregrinatorem diligentissimum invehunt. Oupnek'hat, dicunt, prorsus interpolatum; ejus autem studium accuratissimum et criticum hanc sententiam esse falsam omnino probat. Oupnek'hat Indorum sapientiam integerrimam, quatenus adhuc nobis nota est, continet, ideoque examinatione accurate instituta praecipue illo usi sumus. Cf. Rohlen, das alte Indien mit besond. Rücksicht auf Aegypten. Königsb. 1830, Tom. II. Schlegel, die Weisheit und Sprache der Inder. Görres, Mythologie. — Colebrooke, researches on transactions of the Society instituted in Bengal, for enquiring the history etc. of Asia. Lond. 1788. sqq. —

1) Secundum Paullini interpretationem significat Parabrahmâ creatorem excellentissimum. Paullinus l. c. p. 68.

2) Oupnek'hat I. p. 39. IV. pg. 362 Vol. I. — Deus mundi anima (pram âtma), Oupn. Brahmen 65. 82. 83. 84. 86. — Deus omnia animat, Oupn. IV. p. 386: quemadmodum grana margaritarum in uno filo attracta (collecta) sunt, ipsum illud âtma (esse) scias. Deus incorporeus, Oupn. IV. 388. — Deus benignissimus, purus, Oupn. 385. 387.

3) Oupn. II. p. 192.

4) Oupn. III. Mitr. p. 325 Vol. I.

existunt, voce Oum pronunciata [1]), emanarunt [2]) et quidem primum mundus intelligibilis, et mares et feminae; ens enim supremum ipsum est naturae duplicis [3]). Ante omnes emanarunt Brahmâ (deus creans), Wischnu (deus asservans), Schiwa (deus diruens et judicans), qui eodem tempore orti sunt nominisque summi attributa ac personae propriae proponuntur [4]). Praeter hos multi adhuc alii spiritus variorum ordinum et generum, quorum singulis in mundo sua distributa sunt officia, emanarunt [5]). Hi omnes boni erant, tum autem Moisasur Dei Brahmae lucis splendori invidus ei obedire amplius noluit aliosque spiritus ad malum induxit [6]). Ut boni beatique fierent, Deus mundum visibilem, in quo varios purgationis gradus variaque animalium corpora peragrarent [7]), creare constituit. Moisasur autem in inobe-

1) Oupn. I. p 15 Bohlen I. p. 164. — Oum i. e. nomen Dei. Deus Oum pronunciavit vel se ipsum adspicere incepit.

2) Oupn. II. p. 163 Oupn. III. p 318. Oupn. IV. p. 381. 382. Oupn I. p. 58: et plures non scientes dicunt, quod mundus cum artifice (creatore) primum non est (non existens) fuit, et deinde e τῷ non est ens (hast, existens) factus est. O purum desiderans! ex hoc (e τῷ) non est, ens (hast) quomodo possit fieri? hoc omne primum ens (hast) unicum sine simili fuit.

3) Homo et non homo, et femina ego sum. Oupn. IX. p. 13. Vol. II.

4) Oupn. 315. 317 et in multis aliis locis. Bohlen I., 201 sqq. —

5) Spiritus boni vocantur Deiontai, deioutabba s. fereschtabha i. e. praefecti curandi rei, commissarii v. explicatores verbi. Oupn. Vol. I. p. 16 — De eorum ordine, Oupn. XXXVIII. p. 336 Vol. II. Oupn. II. p. 161 sqq. — Paulin. l. c. p. 161 186

6) Cf. Holwell l. c. sect II. Oupn. XIII. p. 98. — Spiritus mali vocantur Dews, Djenian, Surns Oupn. I. p. 86. 89. Oupn. II. p. 267. I. 16. Bohlen I. c. l. 165.

7) Oupn. XII. p. 66. II. 135. I. 86.

dientia sua perseveravit aliosque a via recta abducere studuit [1]).

Mundi visibilis creatio mythice narratur. Deus mundi ovum (i. e. materiam), in qua omnium rerum corporearum semen posuit, creavit, unde mundus materialis prodiit [2]): mundus visibilis igitur e Dei substantia ipsa ortus est. Primi homines, a quibus omnes homines originem ducunt, erant Satroupa et Man, Brahmae creatoris cum uxore copulatione nati [3]). Homo constat e corpore et anima: corpus est mortale, quia est fons nostrorum dolorum, anima immortalis, Dei imago et e Deo emanatio. Corpus animae domicilium est, quapropter anima nominatur anima ligata (djiw âtma) [4]). Ut homo a corpore liberaretur, Brahmâ ipse eum legem sacram docuit et Wischnu sub variis formis hominum saluti in terra apparuit. Homo autem malum et cupiditates natura sua conjunctas prorsus vincere et mente sua Brahmam immortalem cognoscere studere debet. Qui enim mentem cogitando exercet, spiritum creatoris divinum sibi inhabitantem videt, et solus probus est, qui Brahmam ipsum mente sua detegit: hic statim post mortem ad mundi animam, e qua emanavit, redit [5]). Qui hanc virtutis gradum non assecutus est, animalium vel hominum corpora permigrare cogitur, donec eandem

---

1) Oupn. V. p. 393. II. 107.
2) Oupn. I. p. 27. Bohlen l. c. I. 162.
3) Oupn. II. 123.
4) Oupn. I. 93. Bohlen I. 184. 168.
5) Oupn. II. 258. I. 97. IV. 186. 24. II. 292. IV. 382: ex illo atschher i. e. ex illo ente, sine defectu omnes djiw âtmaha i. e. animae apparentes sunt (exeunt) et in ipsum illud ens ol âtma deorsum eunt (descendunt, annihilantur) — Oupn. Brahm. XX. p. 86 sqq. —

adeptus est puritatem [1]). Sub finem mundi, qui per certum tempus durat, Schiva, flammae igneae instar [2]), apparebit mundumque delebit.

Indorum doctrinae antiquissimae (Brahmaismi), quamquam in multas discedit partes, principia tamen primaria ubique facile sunt agnoscenda. Inter omnes vero **Buddhae**, qui circiter eodem tempore, quo Confucius in China, exstitit, doctrina [3]) excellit, ita ut jam ante Christum in India et aliis Asiae regionibus longe lateque propagata sit [4]) et adhuc in India extra Gangem atque in China maxime floreat. Doctrinae summa haec est: numinis quidem supremi nulla fere fit mentio, ponitur tamen lucis spatium tripartitum, cujus supremum est lumen plenum, universale, **Nirwâna**, quod quiescens cogitatur et absolutum, immateriale, ideoque vacuum habetur. E lucis spatio tripartito, quod omnium rerum principia continet, emanant spiritus lucidi variorum ordinum, qui quo magis se evolvunt et a lucis spatio se removent, sensim degenerant, alia spirituum genera inferiora procreant, donec mundus visibilis corporalis prodit. Omnia, quae

---

1) Oupn. III. 312. II. 292.

2) Oupn. XLII. p. 335.

3) Doctrinae auctor fuit Gautamas, cognomine Buddhae (i. e. sapientis), Magadhae regis filius, nec posteriori tempore quam Cyrus vixit. Cf. Bohlen, l. c. I. 310 sqq. Id. de Buddhaismi origine et aetate definiendis tentamen. Regiom. 1806. 8. — Stuhr, Religionssysteme d. heidnischen Völker d. Orients, (Berl. 1836. 8.) p. 147. 138 — Schlosser, universalhist. Uebersicht d. Geschichte der alten Welt u. ihrer Cultur Frankf. a M. 1826. 8. I 1. p. 112. Anmerk — Transactions of the litterary society of Bombay Tom III. — Ozeray (recherches sur Buddou ou Bouddou instituteur religieux de l'Asie orientale Par. 1817. 8.) demonstrare studuit, Buddham in insula Ceylon anno 1029 a. Ch. natum esse

4) Cf. Bohlen, a. Ind. II. 335. — Stuhr, l. c. p. 143. 144. 137.

sunt, (Sansâra, i. e. regnum omnium rerum) fato necessario sunt orta, ut bonum praemiis afficiatur, malum puniatur: omnium, quae existunt, primordium, est malum primitivum. Homo autem, dum cognoscit, omnia, quae existant, esse vana et ficta, adeptus est summam sapientiam et jam in hac terra a materiae imperio se liberare ac statim post mortem in regnum immateriale (Nirwâna) venire potest. Qui hanc summam cognitionem nondum sibi acquisivit, purgandus est novorum creatione mundorum, quos permigret necesse est. Haec vero cognitio ne intereat, in hac terra Buddhae corpore imaginario (Mâyâ) induti subinde apparent hominesque adjuvant [1]).

§. 8.

Annis circiter sexaginta vel septuaginta antequam Cyrus Persarum imperium condidit, Zoroastres [2])

---

1) Cf. Bohlen, das alte Indien I. 323 sqq. — Schmidt, üb. die Verwandschaft der gnostisch-theosophischen Lehren mit den Religionssystemen d. Orients, vorzüglich dem Buddhaismus. Leipzig 1828. 4. — Stuhr, l. c. p. 147 sqq. —

2) Cf. Zend-Avesta, Ouvrage de Zoroastre contenant les Idées Theologiques, Physiques et Morales de ce Legislateur, les Cérémonies du Culte Religieux, qu'il a établi et plusieurs traits importans relatifs a l'ancienne Histoire des Perses, traduit en François sur l'Original Zend avec des Remarques et accompagné de plusieurs Traités propres a eclaircir les Matieres, qui en sont l'objet, par M. Anquetil du Perron. Tom. II. Paris 1771. 4. — Deutsch von I. F. Kleuker. Riga 1776—78. 3 Th. 4. — Operis fidem omnino non dubiam esse, multi, praecipue Kleuker (Zend-Avesta 3 Th. etc. Anhang dazu 2 Bd. 1781—83), satis demonstrarunt. Multi, ut Thom. Hyde (historia religionum veterum Persarum eorumque Magorum. Oxon. 1700. 4. p. 301 sqq. 318 sqq.), Kleuker (Anhang z. Zend-Avesta I. 1. p. 337 sqq.) contendunt, Zoroastrem Darii demum Hystaspis, Persarum regis, tempore vixisse: quam vero sententiam falsam esse Zend-

Medus [1]) in regno Medo-Bactriano s. Iran, imperio Asiae mediae tum maximo [2]) religionis reforma-

---

Avesta monstrat. In Zend-Avesta enim invenimus indicem geographicum (Zend-Avest Vendidad Farg. I p. 264. Vol. I), qui provincias Medorum imperii primarias amplectitur; afferuntur quidem Bâhdi (Bactria), Soghdô (Sogdiana), Harôiou (Aria), Veekereânte (Cabul), Oraiun (Laborabete, provinciarum vero imperii Persici primariarum, Persidis, Susianae, sicuti urbium praecipuarum, Persepolis, Susorum, Babylonis prorsus nulla fit mentio. Hoc silentium plane esset mirum, si Zoroastres regnante demum Dario Hystaspis filio, a quo Persarum imperium in ordinem erat redactum, vixisset, praecipue cum ille index sit accuratissimus. In Zend-Avesta parra appellantur quatuor tribus, sed Persae in tres tribus dividebantur (Heeren, Ideen über Politik, die Verbindung u. den Handel der Alten. 2 Aufl. I. 1. p. 527.). Nullus etiam veterum scriptorum graecorum, sicut Herodotus, Ctesias, Xenaphon, qui Magos saepe laudant, in ullo loco Zoroastrem memorant. Plato, qui Graecorum primus Zoroastrem affert, sapientem vetustum eum nominat. Cf. Kleuker, Anhang zu Zend-Avesta II. III. p. 90. 299. Nomen Gustasp, quem Darium Hystaspis esse voluerunt (Stuhr l. c. p. 354 sqq.), in Oriente saepius titulum vel cognomen significat. Cf. Heeren, l. c. p. 493 sqq. — Tychsen, de relig. Zor. apud exter. gent. vestig. in commentat. Soc. Gôtting. cl. hist et phil. T. XI. p. 112 sqq. — Abulfeda, scriptor diligens, Zarnastrem Cyri avum nuncupat, cf. Pococke in Specim. hist. Arab. p. 147 ed. Oxon. 1650. — In lingua Zend appellatur Zoroastres Zeré thoschtro, in Pehlvi Zerateseht vel Zertescht, in Parsi Zerdust. Graeci vocant eum Ζωροάστρης. — Anquetil du Perron interpretatur nomen: *sidus aureum* l. s. fulgens, a voce zeré, aureum et thaschtre, sidus. Cf. Anquetil du Perron Tom. I. vie de Zoroastre p. 2 sqq. —

1) Zoroastres Medus erat, nam natus est Urmiae, urbe provinciae Adirbeitzan (Aderbedjan), quae apud veteres vocabatur Atrapatene, pars Mediae. Cf. Anquetil du Perron l. c. Pars 1. vie de Zor. p. 5. Hyde l. c. 311. — Clemens Alex. strom. l. 21

2) Herod. I. 95. 102. — Just. hist. I. 8 sqq. — Heeren l. c.

tor [1]) ac legislator prodiit multaque Indorum philosophiae similia docuit. Ejus doctrina a Bactris, (Balkh) provinciae Bactriaë capite, quo Zoroastres, quia Gustasp, imperii Medo-Bactriani rex, ibi versabatur, patria relicta, se contulerat [2]), per hunc regem, Zoroastri prorsus faventem, in totum regnum omnes terras inter Indum et Tigridem amplectens maximam partem prolata est [3]). Zoroastres vero in regno Medo-Bactriano non permansit, Babylonem se contulit ibique per Chaldaeos Magos doctrinam suam vulgare studuit [4]).

Quum de Medorum religione, a Zoroastre reformata, sit sermo, semper distinguenda est doctrina sublimior a Deorum cultu cum ea conjuncto: illa Magis erat commissa, hic penes plebem. Quia Zoroastres in regno vivebat, cujus regis potestas finibus non circumscripta erat, doctrinam quidem imperii formae accommodare, dominationis vero exemplar proponere voluit: regem subditorum patrem esse debere, divitiae, pacis artes, agricoltura, commercium ut floreant, quemque, regem ipsum, conferre debere; hominum perversitatem, quae tum in regno Medo-Bactriano

1) Zoroastres quidem multis in locis dicit, ab Oromaze se accepisse revelationes, affirmat vero etiam, doctrinam suam non novam esse (Zend-Avest. I 43.). — Aetatem auream, quae Dschemschide rege florebat, restituendi legislationis finis erat. Cf. Zend-Avest. Izeschne XIX. Ha. Vol. I. p. 107.

2) Cf. Anquetil du Perron l. c. Vol. I. vie de Zoroast. p. 129. In Zend-Avesta vocatur Bactra Bâkdi, cf. Vendid. Farg. 1. p. 266. not. 1.

3) Anquetil du Perron l. c. vie de Zoroast. p. 19 sqq. —

4) Anquetil du Perron l. c. vie de Zoroast. p. 58. — Zoroastres Indorum quoque consuetudine utebatur. Cf. Anquetil du Perr. Mémoires de l'Acad. des Inscr. Vol. XXXI. p. 337 sqq. —

magna erat, defendam et hostes, qui regnum sollicitarent, esse opprimendos. Inde facile perspicuum, quomodo Zoroastres de duobus principiis doctrinam, jam per se in ipsa ingenii humani natura positam, regni, in quo vivebat, statu [1]) permotus magis excoluerit.

Zoroastris philosophia proficiscitur a quaestione, qua animum maxime movente philosophia apud populos rudes ordiri solet. Sicuti enim haec primum disquirit, unde malum, quod multifarie homines vexet, ita Zoroastris philosophiae fundamentum est doctrina de bono maloque omnium rerum principio (Dualismus), cujusque boni malique fonte, quare doctrinae indoles maxime ethica elucet.

Singula autem philosophiae placita sunt: est numen supremum, purum, absconditum, lux primaria, vim procreantem et gignentem continens [2]), Zerouâné skerené i. e. tempus infinitum, e quo omnis et mediate et immediate emanant [3]). Summi Dei verbo s.

---

1) Heeren l. c. p. 502 sqq. —

2) Zend-Avesta Vol. I. Vendid Farg XIX. p. 414. Izeschne XXXVI Ha Vol 1. p. 180. Zend-Avesta Vol. II. p. 343, 344. not. 1. p. 321. Izeschne I. Ha. p. 88. Vendid. Farg. III Vol. 1. p. 278. Vol. II. p. 382

3) In Zend-Avesta numinis supremi paucissima fit mentio, Oromazis autem plurima, id quod Anquetil du Perron ita explicare studet (l. c Vol. 1 p. 414 not.): En effet le Peuple, que le premier objet frappe et arrête, ne pourra souffrir qu'on lui dise aûment qu Ormusd, source de tout bien et Ahriman, maître du mal, viennent tous deux du même Principe; Ou bien se croyant toujours sous la main d'un premier Agent essentiellement bon il se livrera à un fatalisme, qui eteindra egalement en lui et l'amour du bien et l'horreur du mal. Les Religions fondées sur l'unité du premier Être, sont celles qui ont été les plus divisées par des Sectes ennemies de la liberté. Mais présenter aux hommes les deux Principes secon-

Honover [1]) ab initio ex ipso Oromazes et Ahrimanius, rerum principia, utrumque tum bonum, pari potentia prodierunt. Oromazes appellatur rex magnus, Ehoremeadâo, Deus, mundi judex, fulgens, lucidus, purissimus [2]). Ahrimanius ab initio quidem bonus [3]), Oromazi vero, cui imperium eripere in animo habebat, mox invidus, a numine supremo descivit ac malus factus est, quapropter nominatur Péetiâré-Enghré (hé) meeniéosch i. e. malorum fons vitiis demersus, vitium ipsum [4]). Inde evenit, ut Zervané akerené tenebras per duodecim millia annorum [5]) domicilium ei daret. Orta sunt igitur duo regna: regnum lucis, in quo Oromazes, cujusque boni principium, imperat, et regnum tenebrarum, in quo Ahrimanius, cujusque mali principium, dominatur. Inter haec exstitit abhinc certamen perpetuum usque ad mundi interitum ac restaurationem duraturum [6]). Oromazes autem creavit primum sex Amschaspandos, spiritus immortales, et mares et feminas, Oromazis thronum circumdantes. Qui Amschaspandi, quorum Oromazes ipse est summus,

---

daires, c'est leur montrer deux sources differentes, l'une du bien, l'autre du mal et leur indiquer en même tems deux routes, pour l'une des quelles il faut qu'ils se determinent.

1) Izeschne XIX, Ho Vol. I. p. 141. Vendid. Farg XIX. Vol. I p. 412. 414.

2) Vendid. Farg. XI. Vol. I. p. 368 Zend-Avesta Vol. I p. 81. Vol. II. p. 145. 25 Vol I p. 344. Visper. XIII. Vol. I p. 154. Zend-Avesta Vol. I. p. 80. 198. 195. Vol. II. 369 – 74.

3) Izeschne XLIII. Ho. p. 193. n. 1. — Hyde l. c. p. 159.

4) Vendid Farg. XVIII. Vol. I p. 403. Farg. XIX. p. 414. Vol. II p. 345. sqq. 351.

5) Zend-Avesta Vol. II. 347. p. 345. not. 5.

6) Zend-Avesta Vol. II. 347.

puri sunt, hominum adjutores, atque inter hos et Oromazem mediatores [1]). Deinde creavit Oromazes viginti octo **Izedes**, et mares et feminas, spiritus inferiores, mundi saluti genitos [2]). quorum summus est Mithra [3]). Tertio creati sunt **Ferveri**, omnium creaturarum futurarum imagines purae et animae purae, quibus omnia vivunt et mundus **visibilis** cum **invisibili** cohaeret [4]). Distinguuntur autem ab iis hominum animis, quas hominibus innatas Zoroastres pravarum cupiditatum sedem putavit [5]). His omnibus spiritibus bonis, ut bonum impediretur, Ahrimanius alios malos opposuit, **Erzdewes** et **Dewes** [6]), qui quoquoversus mala spargunt ac sub variis formis agunt. —

Oromazes postquam tria millia annorum imperium quietum tenuit, mundum materialem, mundi invisibilis imaginem, procreavit [7]). Ahrimanius, tribus millibus annorum denuo praeterlapsis, quibus potestatem adhuc

1) Zend-Avest. Vol. II. 262. Izeschne XXV. Ha. p 153 Septem Amschaspandi sunt: Oromazes, Bahman, Ardibehescht, Schahriver, Sapandomad, Khordad, Amerdad. Zend-Avest. Vol II. 43. sqq. —

2) Izeschne I. Ha. p. 83. Zend-Avesta Vol. II. p. 316 sqq. 383 sqq. 263. Izeschne II. Ha. p. 91.

3) Zend-Av. Vol. II. p. 222 sqq. p. 331.

4) Izeschne I. Ha. p. 83 n. 6. Vol. I. p. 148. Vol. II. 264. 261. 254.

5) Izeschne I. Ha. p. 83 n. 6. Vol. II. 234.

6) Vendid. Farg. XIX. p. 401. 412. Izeschne XLVI. p 200 Vol. II. p. 355.

7) Zend-Av. Vol. II. p. 349 sqq. — Bun-Dehesch creationis historiam amplectens, Zoroastre quidem auctore non gaudet, maxima vero a Zoroastris sectatoribus afficitur honore: verisimilius est commentarius Zoroastris librorum

parvam exercebat, a sociis incitatus tenebrarum loco relicto pugnam cum Oromaze ejusque imperio iniit coelumque petiit [1]. Lucis autem splendore obstupefactus et ab Oromaze rejectus, in terram desiluit, omnia ibi penetravit, omnia delere in animo habuit omnibusque animantibus bonis atque utilibus mala et noxia opposuit [2], ita ut oriretur mundus purus et impurus. Ahrimanius malum quoquoversus dispergens tria millia annorum mundum regit una cum Oromaze: imo postremis annorum tribus millibus principatum obtinebit [3].

Primi homines generis humani parentes semine purificato nati erant Meschia et Meschiane. Immortales quidem bonique creati, et ut boni manerent, Ferver, anima coelesti, praediti erant, ab Ahrimanio vero se corrumpi sinebant [4], quo facti sunt mortales et ipsi et omnes homines ab iis orti. Homo Ahrimanium et omnia ab eo profecta impugnare ac delere, legem Oromazis et cogitando, et loquendo et agendo observare debet [5]: animae bonae statim post mortem beatorum sedes intrant, malae autem ejiciuntur in inferna, ubi a numinibus malis multifarie vexantur, et vel quoddam tempus vel usque ad resurrectionem permanent [6].

1) Bun-Dehesch Vol. II p. 348 sqq. —

2) Bun-Dehesch p. 361. 387. Vendid. Farg. XXII. Vol. 1. p. 428.

3) Bun-Dehesch p. 347. Izeschne XXXII. Ha. Vol. 1. p. 170.

4) Bun-Dehesch p. 378 sqq. —

5) Izeschne IV. Ha. Vol. I. p. 98. Izeschne XLIV. Ha. p. 194.

6) Vendid. Farg. XIX p. 417 sqq. 421. Vendid. Farg. XVIII. 412.

Annorum duodecim millibus praeterlapsis fiet resurrectio [1]. Qui resurrectionis tempore adhuc sunt superstites, moriuntur, ut resurgant. Facta autem resurrectione, mundus in flumen igneum permutabitur [2], quod et boni et mali permeare debent. Boni a malis sejuncti illud tanquam flumen lactis percurrunt, mali in inferno relegati, doloribus afficiuntur, donec fluminibus igneis plane puri facti sunt. Deinde una cum bestiis pari gaudent felicitate [3]; Ahrimanius ipsaque inferna his fluminibus purgantur, omne impurum malumque exstinguitur [4]: solus Oromazes regit. [5].

Propositis nunc Indorum et Medorum philosophiae decretis, facile intelliges, quomodo consentiant ac differant. Omnia religionis systemata sublimiora, quae in Oriente reperiuntur, proficiscuntur ab eo, quod, nisi numen supremum ipsum (τὸ ἀγαθόν) in omnes universi partes ingrediatur, nullus in mundo ordo esse, mundus existere non possit: itaque emanationem ponunt. Deus non ipse apparet, sed virtutibus suis manifestum sese reddit, quae personae propriae varios ordines constituentes proponuntur. Sic etiam Indi et Zoroastres docent. Omni quidem religionis doctrinae altiori conjunctionis cum Deo et ab eo disjunctionis, Dei et materiae, animae et corporis oppositionis idea inest, in explicanda vero hac doctrina magnum invenitur discrimen. Indo-

1) Bun-Dehesch p. 401 sqq. p. 412. Izeschne LXVII. Ha p. 236. Izeschne XXVIII. Ha. p. 183. Vendid. Farg. XIX. p. 417.

2) Bun-Dehesch p. 412.

3) Ibidem p. 413. 414.

4) Ibid. p. 416.

5) Ibid. p. 412. 414 sqq.—

rum philosophia hominis cum Deo conjunctionem intimam et beatam, quae jam in hac vita existit, clare pronunciatam docet: ex ea enim ille eximia quadam mentis elatione jam in hac terra conspici potest (contemplatio mystica). Mundus videtur tantum esse, nec re vera existit malique origo ex defectu boni repetenda est, salva universi unitate et cohaerentia ejus partium. Itaque ab Indis vita contemplativa permagni aestimatur. Reperitur quidem in Indorum philosophia dualismus quidam, valde vero circumscriptus et placatus. Zoroastres contra quaestione, unde sit malum, magnopere permotus duo principia, et bonum et malum, statuit. Itaque ejus philosophia vitam contemplativam non commendat, quam dualismus non concedit, cum animum a Deo detrahat et ad pugnam cum illo provocet. Religionis systemata ethnica, cum ex nihilo nihil fieri statuant, omnia, quae existunt, aut e Deo emanasse, aut ab ipso e materia quadam praeexistente esse procreata putant. Indi et Medi materiam aeternam repudiantes emanationem ponunt: omnia e Deo ipso et immediate et mediate prodire dicunt. Hoc principium maxime perspicuum est in Buddhae doctrina, quae simul ostendit, singulas virtutes, quae e lucis spatio emanarint, sensim sensimque degenerare. Attamen mirum, ab Indis et Zoroastre, cum ex emanationis doctrina, ut Deus mutabilis sit, necessario sequatur, Deum indivisum et infinitum intelligi. — Quod attinet ad harmoniam primitivam, malo turbatam, aliquando eam restitutum iri, omniaque animantia ad Deum reversura esse, declarat et Indorum et Medorum doctrina. Indi, omnia ad unitatem refluere eaque metempsychosi, Persae autem, omnia purgatione igne facta renovari illo,

animam solam in aeternum duraturam esse, hi corporis quoque resurrectionem statuunt.

§. 9.

Quaedam placita philosophiae orientali similia in **Aegypto** quoque jam ante Persarum imperium reperiuntur. Haec sunt doctrina de Deorum emanationibus, de animarum immortalitate, de metempsychosi, quacum de animarum praeexistentia ac lapsu doctrina cohaeret [1]). Quae dogmata Aegyptios antiquissimis jam temporibus docuisse, Diodori testimonium, qui vetustissimam Aegyptiorum historiam narrat, distincte probat. An ab Indis ea receperint, demonstrari quidem nequit; cum autem commercio conjuncti essent cum illis [2]) eruditione et doctrina antiquitus praestantibus, ut ea receperint, fieri potuit. Herodotus [3]), Indorum doctrinae ignarus, Aegyptios animarum immortalitatem primos docuisse dicit. — Maxima de Aegyptiorum cultura atque eruditione sententiarum est diversitas et confusio, quae ex eo praecipue oritur, partim quod, quomodo hominis ingenium sensim excoluerit, non respicitur, partim quod historia plane negligitur et priora et posteriora confunduntur. Ex mea sententia veterum Aegyptiorum quod attinet ad vitae cultum, ad mores artesque quatuor historiae periodi distinguendae sunt: prima, quae antiquissima tempora usque ad Psammetichum regem amplectitur, qua aetate Aegyptus a multis populis et debellatur et occupatur [4]): altera, quae a Psammeticho usque ad

1) Diod. I. 11 sqq. I. 51. — Herod. II. 123. 43. 46. 145.

2) Heeren, l. c. 4te Ausg. II. 2 p. 107. 382. Id. de mercat. Ind. rat. et via in comment. Societ. Reg. Goett. Vol. XI. p. 68.

3) Herod. II. 123.

4) Herod. II. — Diod. I. II. III. — Jos. XX. — Nah. III. 8

Persarum imperium profertur. His temporibus Aegyptus populis alienis, praecipue Graecis, reseratur. Phoenices et Graeci in Aegypto domicilium collocabant magnamque ad Aegyptiorum cultum at eruditionem habebant vim [1]). Tertia periodus Persarum imperii usque ad Alexandrum Magnum tempora, quibus illorum dominium praevalet, amplectitur: quarta denique ab Alexandro initium capit: qua Graecorum auctoritas maxima est. Verumtamen discrimen faciamus inter Aegyptiorum doctrinam publicam, cujus totus populus particeps erat, et inter doctrinam arcanam, quae penes sacerdotes et viros sapientes. At quidquid disputatur, sacerdotes non solum rerum physicarum sed etiam metaphysicarum [2]) cognitionem altiorem sublimioremque habuisse certum est. Unde veterum testimonia tam praeclara inveniuntur [3]). Qua in re vero etiam singulae periodi discernendae sunt.

§. 10.

Animorum concitatio, quae sub finem saeculi septimi a. Chr. et abhinc inter gentes Asiae mediae et

---

1) Herod II 112 — Amasis, Aegyptiorum rex, Graecis maxime favebat Herod II 178, II 154. cf. 152

2) Metempsychoseos doctrina, quam Herodotus tradit, certe erat arcana (Herod. II 123.). — Sacerdotes deorum cultum allegorice et symbolice interpretabantur. Cf. Creuzer, Symbolik, Th. I.

3) Diodorus (I 21 27.) et Herodotus (II. 170) doctrinam arcanam, symbolo et mysterio memorant. Cf. Diod. I. 50. 69. 81. 96sqq. Herod. II. 57. 97. Strabo VII. XIV. Aristot met. I. 1. de coelo II. 12 de rep. VII. 10. Pyth. ap. Diog. Laërt. VIII 4 sqq. Plat. lo compiur. I. (Plessing, Memoonium oder Versuch zur Enthüllung der Geheimnisse des Alterthums. Leips. 1787. 8. Tom. II.) Isocrat. scripto Busirid. laudat. Basil. 1603

orientalis exarsit, in Asia occidentali quoque apparet. Alia enim philosophandi ratio nascitur, nempe philosophia graeca, quae in Ionia, Graecorum colonia tum celeberrima, florere coepit. Primus inter Graecos Thales necessitate quasi rationali ductus philosophiam coluit [1]), eumque secuti sunt Anaximander, Pherecydes, Anaximenes [2]). Eorum philosophia est naturalis, non consistens in systemate finito sed amplectens tantum speculationes quasdam parum excultas de mundi origine ac materia primaria, de rerum animantiumque ortu, de corporum coelestium origine, magnitudine ac motu [3]). Philosophia graeca omnino proprium philosophandi genus et philosophiam veram ac puram se praestitit. Orientales enim, ut supra dictum est, speculationes religioni et revelationibus in libris sacris repositis plane adnectentes philosophantur. Graeci autem hoc fulcrum rejiciunt, ideoque ingenio major cogitandi libertas datur; philosophia orientalis imaginandi vi magis innititur, graeca autem ratione. Philosophia orientalis porro a graeca, quamdiu certe earum commixtio non facta erat, differt contemplatione mystica, emanationis systemate et daemonologia mystica cum eo conjuncta. Quamquam vero res ita se habuit, quamquam civitatum status politicus et Graecorum libertatis tuendae studium ingenio excolendo maxime favebant, quamquam ingenium ex se ipso aliquid procreare potest, quod simile est alii rei neque vero ab alio quodam petitum, quam-

1) Diog. Laërt. I. 27.
2) Diog. Laërt. II. 1. I. 119. II. 3.
3) Aristot. met. phys. de coel. — Frd. Bouterwek, de prim. philos. graec. decret. phys. in comment. societ. Goett. rec. Vol. II. an. 1811.

quam denique Graecos per se ipsos ingenium philosophicum maximam partem excoluisse earumque philosophiam solam nominandam esse veram et puram omnino fatemur, animorum tamen concitationem ac motum, qualem inter Graecos Asiae minoris hoc tempore invenimus, cum Oriente cohaesisse, quodammodo conjici potest. Philosophos quidem graecos ante Cyrum cum Orientis sapientibus conversatos esse nescimus, cum Thaletis itinera sint dubia atque Aegyptii, ad quos ille profectus esse et a quibus didicisse dicitur [1]), quod ad philosophiam attinet, illo tempore fructum suppeditarint adhuc tenuem: philosophorum vero posteriorum itinera haud dubia, testimonia, ut infra demonstrabitur, prorsus non rejicienda, Joniae, imprimis Mileti urbis ejusque coloniarum in Asia minori constitutarum cum Oriente commercium [2]), id probare videntur.

Caput III.

De philosophandi ratione Persarum imperii temporibus.

§. 11.

Philosophia orientalis in India, in regno Medo-Bactriano atque inde verisimiliter inter alios quoque po-

1) Diog. Laërt. l. c.

2) Herod. V. 28. — Strab. XIV. 1. — Heeren, l. c. 4te Ausg. I. 2. p. 295

pulos e. g. Chaldaeos sparsa, Persarum imperio longe lateque propagata maximique momenti facta est. Cyrus enim regnum quamquam Medo-Bactrianum diruit [1]) Persarumque imperium condidit, Medorum tamen mores, praesertim ritus, qui in aula obtinent [2]), sicque etiam Magos vim ad illos maximam habentes et cum his Zoroastris doctrinam in Persidem transtulit eamque publicam reddidit [3]). Zoroastris doctrina, civitatem tyrannicam, ut supra expositum est, spectans, Persarum imperii formae prorsus erat accommodata ideoque in explicanda illorum historia minime est praetermittenda: totius enim doctrinae indoles plurimum contulit, ut Persae, quippe qui natura bellicosi dualismo hominem ad agendum, pugnandum viresque suas exercendas incitante et admonente magnopere permoti sint, imperium augerent. Quapropter Cyrus, et ipse Medus [4]), Magis Medisque prae ceteris populis victis semper favebat [1]). A Pasargadarum gente, inter Persas nobilissima, Zoroastris doctrina primum re-

---

1) Herod. I, 125 sqq. —

2) Quantopere Persae moribus alienis faverint, ex Herodoto videndum, Herod. I. 135.

3) Xenoph Cyrop. VIII. opp. p. 204. — Magos memorat Herod. III 61. Eos apud Persas non tantam obtinuisse potestatem, quantam apud Medos, elucet ex Herod. (III. 31) (Heeren, l. c. 2te Aufl I. 1, p. 485 sqq.) ideoque Magos post Cambysis mortem seditionem fecisse, facile intellectu, praecipue cum Medorum imperium per Persas esse deletum oblivisci non possent. Persae quidem Medorum Deorum cultum recipiebant, verumtamen eum, quem jam vetustum habebant, servabant. Cf. Brisson, de reg. Persar. imper. p. 347. — Herod. I, 140.

4) Herod. I. 107 sqq. —

5) Herod I. 156 — 57. — Strab. XV. XVI. — Herod. I, 153 de Ecbatanis urbe, quae, sicuti Medorum imperii sedes fuerat, ita etiam Persarum regni sedes mox facta est.

cepta est [1]), mox vero latius emanavit etiamque extra Persidem Cyri expugnationibus facile propagari potuit. Regno enim Medo-Bactriano (an. 560 a. Chr. Ol. 55, 1.) everso, Cyrus Lydos aggressus est eorumque imperium delevit [2]): Graeci in Asia minori victi sunt [3]): Phoenices sponte se subjecerunt [4]): Babylonia capta est [5]) paucisque annis (ab an. 560—529. Ol. 55, 1 — 62, 3.) Asia anterior et media sub Persarum potestatem erat redacta. Cambyses, Cyri filius, Aegyptum occupavit [6]) (an. 525. Ol. 63, 4.): Darius Hystaspis in Europam trajecit (an. 513.), expeditionem contra Scythas fecit [7]), Thraciam et Macedoniam expugnavit [8]) et orientem versus usque ad Indum progressus est [9]). Sub hoc rege Persarum imperium latissime prolatum ac melius et firmius constitutum est [10]). Dario adhuc regnante Persarum cum Graecis Europaeis, qui Asiaticis contra Persas auxilio venerant [11]), bellum exarsit [12]) (an. 492.), magnisque cum copiis a Xerxe (an. 480. Ol. 74, 1.) denuo inceptum [13]), non vero prospere finitum est. His Persarum expugnationibus, quibus Asiae imprimis populi

1) Herod. I. 125 — Heeren, l. c. 3te Ausg. I. 1. p. 549 sqq. —
2) Herod. I. 71 sqq. —
3) Herod. I. 160 sqq. —
4) Herod. III. 19.
5) Herod. I. 190 sqq. — Xen. Cyrop. VII. 5.
6) Herod. III. 1 — 15.
7) Herod. IV. 83 sqq. VI. 40. — Justin. II. 3. 5.
8) Herod. V. 1 — 22.
9) Herod. IV. 44. III. 94 sqq. —
10) Herod. III. 89 sqq. — Populos Persis subjectos vid. ap. Herod. VII. 61 sqq. —
11) Herod. V. 97 sqq. —
12) Herod. VI. 43 sqq. V. 105. VII. 1.
13) Herod. VII. VIII. IX.

arctius inter se conjungebantur, philosophiam orientalem, quum Indorum, tum Zoroastris doctrinam longe lateque propagari potuisse liquet; praesertim cum adhoc commemoremus, quomodo Persae imperium firmare conati sint: Persae enim in terris victis exercitus quasi perpetuos e Medis et Persis aliisque populis orientalibus (et ipsis Indis) constantes [1]) reliquerunt, satrapas instituerunt et colonias e populis debellatis deduxerunt [2]). Huc accedit, quod commercium, florens inter Asiae populos [3]), illam propagationem adjuverit. Quantopere populi subjecti victorum institutiones ac mores imitentur eosque suos reddere soleant, historia atque experientia satis docent. Quae cum ita sint, philosophiam orientalem re vera esse propagatam, nunc demonstrabimus.

§. 12.

Zoroastris doctrinae vim, ex quo Phoenices Persis subjecti erant, illorum religio clare ostendit. Et Phoenices hoc tempore Persarum more de omnium rerum principio, de mundi rerumque origine philosophari coeperunt. Fontes quidem fere omnes [4]), ex quibus haurire possimus, interierunt, vulgatis vero nunc quibusdam Phoenicum monetis [5]), quodammodo

---

1) Herod. I. 76. VII. 60 — 99. — Persarum exercitui Aegyptii quoque adscripti erant.

2) Ctes. Pers. c. IX. — Herod. VI. 31. Herodoti ἀνάσπαστοι. VII. 80.

3) Heeren, l. c. optime de hac re meruit.

4) De fontibus Phoeniciae vid. Beck, Anleit. z. genauern Kenntniss der allg. Welt- u. Völkergesch. 2te Ausg. I. 1. p. 255 sqq. —

5) Bellermann, Bemerk. über phönizische und punische Münzen. Berl. 1812 — 18.

certiores facti sumus. Praeterea apud Euschium [1]) operis Sanchuniathonis, qui Phoeniciae et Aegypti historiam, quam Philo Byblius in linguam graecam transtulit valdeque laudavit, scripsisse dicitur [2]), fragmenta Phoenicum theogoniam et cosmogoniam amplectentia exstant. Multum quidem de eorum integritate disputatur [3]), nec negandum est, ea, qualia exstant, esse interpolata; attamen si accuratius consideraveris placita primaria, Phoenices ipsos sed in modum Persarum esse philosophatos concedes [4]). Praeterea eos antiquissimis temporibus tali modo philosophatos esse, omnino non demonstraturos sum, nec demonstrari potest; primis enim temporibus Phoenices, ut omnes populi nondum eruditi, imagines deorum commenticiorum adorabant, deinde deorum cultum Babylonicum sequebantur. Ex eo, quod multa doctrinae Mosaicae de mundi origine similia in Sanchuniathonis libro commemorantur, ad primam Phoenicum aetatem eum pertinere [5]), certe concludi non potest: cum Phoenices Judaeis arctissime conjuncti essent, scriptor Phoenicius Mosem doctrinamque Mosaicam

1) Euseb. Praep Evang. I. 10.

2) Porphyr. de abst. ab esu anim. p. 201. — Athen. Deipnos. III. p. 138. ibique Casaub. p. 277. ed. Schweigh. Athenaeus Sanchoniathon scribit. — Theodoret. de cura Graec. affect. serm. II. p. m. 423.

3) Sententias diversas vid. ap. Fabr. bibl. gr. I. p. 222. ed. Harles. — Beck, l. c. I. 1. p. 256 sqq. —

4) Cf. Creuzer, l. c. II. p. 17 sqq. — Heyne, in Abhandl. u. Ausz der Akad. der Inschr. Griech Alterth. I. 240 — Foucher, Mém de l'Acad. des Inscr. Tom. XXXVIII. p. 438 sqq. — Herder, Ideen z. Philos. der Gesch. der Menschheit I. 311.

5) Poelitz, Weltgesch. 6te Aufl. I. p. 140.

facile respicere ac comparationem instituere poterat. In urbibus Phoeniciis tabularia, in quibus litterarum documenta et scripta asservabantur, fortasse exstiterunt [1]. Seu ita se habet, ut Philo illis usus sit, inde quaedam excerpserit, librumque suum nomine celebri inscripto commendare voluerit, fieri potuit. Peregrinis ad tabularia aditus non patebat, scripta in illis erant rara ideoque, praesertim cum in lingua graeca nondum legerentur, antiquioribus scriptoribus graecis non innotescebant. Eusebius quoque, scriptor accuratissimus, a Porphyrio [2]) librum plane interpolatum sane non accepit; si totus liber a Philone confictus esset, haec fraus statim omnibus innotuisset. Sanchuniathonis nomen, veritatis amicum significans, cognomen historicorum vel sacerdotum commune fortasse fuerit. Phoenices Persarum doctrinam amplexos esse, non mirum, cum ea, quae antea dixi, quantopere ad alios populos se accommodaverint, satis jam declarent. Postea etiam sacerdotes Tyrios vexatos ab Alexandro, cujus benevolentiam sibi conciliarent, Deorum cultum patrium ad graecum formasse animadvertimus [3]). Phoenices, quippe qui in mercaturam quam maxime incumberent, ingenio philosophico non gavisos esse, cum Phoenicia suos quoque haberet philosophos [4]), contendi nequit. Zoroastris doctrina sub Persarum imperio in Phoeniciam migravit: alio enim tempore id accidisse, nullo facto historico demonstrari potest,

1) Joseph. contra Apion. I, 8. 17.

2) Porphyrius Sanchuniathonis opere contra doctrinam Christianam usus est: Eusebius illud e quarto Porphyrii libro adversus Christianos sumsit et contra Ethnicos adhibuit.

3) Arrian. expedit. Alex. M. II. 24.

4) Strab. XVI.

praesertim cum dicta, sacerdotes Tyrios Alexandri Magni tempore Graecorum Deorum cultum cum Phoenicio conjungere studuisse, videmus. Mercatura etiam magna et copiosa, quam Phoenices cum populis Asiaticis faciebant, Persarum doctrinam facillime cognoscere [1]), eamque cum cognitam haberent, iterum tali modo, sicut et ipsis coloniis, quas in multis terris instituerant, late propagare poterant [2]).

Phoenicum cosmogonia est verbum Dei, quod a numine supremo ipso cogitatum et dictum, a planetarum diis scriptum et quasi mysterium a diis inferioribus ordini generis humani superiori, ut postea inter homines propagaretur, communicatum est: quae ad Persarum et Indorum doctrinae similitudinem maxime accedunt [3]). Persae et Indi docent, ex nihilo nihil fieri, materiam non esse aeternam, esse numen supremum infinitum, absconditum, e quo omnia emanaverint: sic et Phoenices tradunt: Baau (בֹּהוּ) est principium omnium rerum infinitum, tenebrae aëre et spiritu impletae [4]). Ex illo fumine prodierunt complures spiritus, sicut in Persarum et Indorum doctrina: primus processit spiritus aërius, Kolpia (קוֹל־פִּי־יָהּ), mundum ordinans, Persarum Oromazes, Indorum Brahma. Hic spiritus propriorum principiorum amore exarsit (πόθ-

1) Cf. Heeren l. c. 4te Ausg. I. 2. 3.

2) Diod. V. 20, II. 114 ed. Wess. I. p. 377. 358. — Herod. II. 44, VI 47. — Diod. I. p. 343 — Strab. III — Bochart, Geogr. sacr. p. 373 sqq. p. 403 sqq — Michael. Spicileg. geogr. hebr. exter. I. 106. — Steph. Byz. de urb. h. v. — Mannert, Geograph. der Griech. u. Röm. I. 275. — Cellar. Geogr. Ant. I. p. 35 sqq. — Heeren l. c. 4te Ausg. I. II. p. 24 sqq. — Thucydid. VI. 3.

3) Cf. Goerres, Mythengesch. II. p. 464. Matter l. c. I. p. 258.

4) Euseb. l. c. I. 10. p. 33 sqq. —

σθῃ τὸ πνεῦμα τῶν ἰδίων ἀρχῶν) factaque est inde commixtio, quae erat causa omnium rerum. Numen igitur supremum habet vim procreantem et gignentem, et Persarum Zervané akarené et Indorum Parabrahma, ideoque etiam in natura diversa genera, et mascula et feminea, reperiuntur. Ex illa autem connexione (συμπλοκῇ) primum Mot (μωτ), limus, materia, prodiit. Hinc factum est seminium omnis creaturae. Orti sunt deinde Zophasemin, i. e. contemplatores coeli, Persarum Ferveri [1]), naturae intelligentes, spiritus aetherei, boni, quibus etiam mali, sub diversis formis quamque calamitatem in terras spargentes, obstant. Tum vero sol, luna, stellae eluxere omniaque alia, quae existunt, deinceps facta sunt. Sicut Persarum philosophia ita etiam Phoenicum perturbationem in rego intelligibili factam mundi creationis causam affert. Primos homines, a quibus totum genus humanum originem ducat, dicunt Phoenices, aëriorum spirituum esse filios, ideoque initio bonos [2]).

Etiamsi liber Sanchuniathonis integer, qui fortasse multa alia Persarum doctrinae similia praebere possit, non exstat, Zoroastris tamen philosophiae momentum satis apparet. Quemque vero populum suas ideas alienis immiscere constat, ideoque in cujusque populi doctrina, ad quam Persarum et Indorum philosophia vim quandam habuit, hanc plane eandem esse, non exspectandum, nec statuendum est.

1) Cf. Kanne, Pantheon der ältesten Naturphilos. p. 364.

2) Euseb. l. c. — Creuzer l. c. Tom. II. — Müller l. c. I. 360 sqq. — Rosii l. c. p. 389 sqq. — Brucker. hist. crit. philos. I, p. 239 sqq. — Bochart l. c. Pars II.

§. 13.

In Aegyptum quoque Zoroastris doctrina Persarum expugnationibus penetraverat. Cambyses enim, ut supra dictum est, an. 525 a. Chr. Aegyptum occupavit, templa pulcherrima despoliavit partimque delevit, Aegyptiorum Deos ignominia affecit eorumque sacerdotibus, quippe qui magno adhuc imperio ornati essent, insultavit [1]). Itaque Aegyptiorum sacerdotes Persarum doctrinam cognoscere quasi cogebantur; postea autem Darii Hystaspis, qui quum plebem Aegyptiacam, tum ipsos sibi ita, ut in Deos referretur [2]), conciliare studebat, favorem experti eam accuratius perscrutabantur; praesertim cum inter Aegyptios et Phoenices, quorum multi Memphide domicilium collocaverant [3]), magna fieret mercatura [4]) atque colonia Aegyptiaca a Cambyse rege Susa deducta esset [5]). Quantumcunque apud Aegyptios deorum cultus patrius obtinebat auctoritatem, quantumcunque Zoroastris doctrina ab eorum cultu aliena erat, dualismus tamen ab illis etiamsi non plane excultus receptus esse videtur, quod ex quibusdam Herodoti locis, clarius vero ex Plutarchi de Iside et Osiride libello apparet [6]). Duo esse, censuerunt Aegyptii, rerum principia, alte-

1) Herod. III, 27. 28. 29. 37. — Diod. I. 46. — Strab. XVII.
2) Diod. I. 58. 95.
3) Herod. II. 112.
4) Heeren l. c. 4te Ausg. II. 8.
5) Ctes. Persic. c. IX.
6) Cf. Creuzer l. c. I. p. 317 sqq. Id. commentat. Herodot. I. § 16. Jablonski, Pantheon Aegypt. III. c. 2. p. 39 sqq. Mosh. ad Cudworthi system. intell. Jena 1733. fol. Tom. I. p. 423. Banier, diss. sur Typhon Mem. de l'Acad. des Inscr. III. 116 sqq. Bohlen, d. a. Indien I. 124.

rum bonum, alterum malum, quorum illud cum Osiride, hoc cum Typhone, Osiridis adversario, composuerunt. Commodum his, qui sacra Aegyptiorum ad Persarum doctrinam studebant accommodare, in deorum veterum historia Typhon, Osiridis hostis et percussor occurrebat [1]). Commenticiis explicationibus res a Typhone gestas ita pervertebant, ut malus deus ille, quem quaerebant, sicuti Osiris bonum et salutare Persarum numen esse videretur. Aegypti quoque situs, loca deserta, venti fervidi, morbi letiferi, paludes bestiaeque pestiferae incolas, ut deum malum ponerent, facile movere poterant, praesertim cum sacerdotes deorum cultum ad naturam referre studerent [2]). Hinc igitur nova instituta et ceremoniae. Sub Persarum imperio Aegyptiorum sacra ita esse commutata certum est. Nam in omnibus locis, qui de vetustissima Aegyptiorum religione apud Diodorum Siculum leguntur, nulla dualismi vestigia reperias. Persarum quoque vis ex inscriptione ad Rosette urbem inventa elucet [3]).

§. 14.

Zoroastris doctrinae vis maximi momenti inter Judaeos apparet. Etiamsi non ponimus, ab illis quaedam Zoroastris doctrinae placita tota in libros sacros recepta esse, haec tamen, ut Judaei semina, quae doctrinae suae inerant, Zoroastris philosophiae analogiis excolerent, incitasse non est negandum. Zoroastris doctrinae vis quamquam non statim primis

1) Diod. I. 21

2) Creuzer l. c. I. p. 317.

3) Rosett. Inschr. lin. 13. 30. — Bohlen l. c. I. p. 125. — In inscriptione modus Persicus, qui vocatur Artabe, invenitur.

post exilium temporibus sed Alexandri demum aetate cernitur, Judaei tamen jam in exilio eam cognoverunt indeque in Palaestinam contulerunt [1]). Zoroastres enim Babylone quoque doctrinam suam aperuit Magis, in quorum collegium Daniel, Judaeorum propheta, qui in aula Babylonicae regis vivebat, cooptatus est [2]). Babylone capta Cyrus quidem, ut Judaei in patriam redirent, permisit [3]) (an. 536 a. Chr. Ol. 60. 3): nihilominus nonnulli remanserunt ac scholas Nahardeae, Sorae, Pumbedithae mox florentes constituerunt [4]); sub Xerxe rege Esra propheta, sub Artaxerxe Longimano Nehemia, qui pocillatoris regii munere functus erat, Hierosalyma redierunt [5]): ita Palaestinae cum Asia media conjunctio semper patebat. Ab Aegypto quoque Zoroastris doctrina ut in Palaestinam propagaretur, facile fieri potuit: nam magna Judaeorum multitudo, quorum nonnulli, ut Jesaias, eruditissimi

---

1) Cf. Horn l. c. p. 335 sqq. — Poelitz, pragmat. Uebers. der Theol. der spät. Juden. — De Wette, bibl. Dogm. p. 54 sqq. — Beitr. zur Beförd. des vernünft. Denkens. Heft V. p. 23 sqq. — Theol. Stud. u. Krit. Jahrg. III, B. 2, p. 381. — Buhle, Gesch. d. Ph. Bd. IV. p. 73 sqq. — Die Theologie des alten Testaments od. Abriss der relig. Begriffe der alten Hebr. von den ältesten Zeiten bis auf den Anfang d. christl. Epoche, Leipz. 1796. 8.

2) Dan. I, 2.

3) Joseph. arch. XI, 1, 1. — Esra I. 1 sqq. — Jahn, Archäol. II, 1, 235.

4) Joseph. arch. XVIII. 12. — Eichhorn, Allgem. Bibl. der bibl. Lit. Bd. 2, p. 380.

5) Esra VII. sqq. — Neh. II. — Artahsasta rex in lib. Esr. laudatus Xerxes est. Cf. Joseph. arch. XI. 5, 1. De Wette, hebr. Archäol. Leipz. 1830. §§. 50. 51.

erant, exilio ineunte, in Aegyptum aufugerat, hic hellenistarum Aegyptiacorum coloniam constituerat certeque Persarum doctrinam, quae postea sub Cambyse rege in Aegyptum fluebat, cognoverat [1]). Zoroastris autem philosophiae vim inter Judaeos, cum exilium ii poenam haberent ac propterea doctrinam Mosaicam summo cum studio servarent, non statim apparuisse, haud mirandum est. — Ne vero de via historica ad propositum nostrum adumbrandum electa deflectamus, haec res, cum ad Alexandri aetatem pervenerimus, iterum excipietur.

§. 15.

Philosophia graeca quoque hac aetate latius propagatur. Ex Asia minari Xenophanes, Colophone natus, philosophiam graecam in magnam Graeciam transtulit (an. 536.) [2]) scholaeque Eleaticae, e qua nonnulli philosophi prodierunt [3]), auctor factus est. Prae ceteris Pythagaras, qui primus philosophi nomen sibi imposuit et Crotone philosophiam docuit (circ. an. 527.), ingenio, inventionibus magnis, quae de litteris etiamque, quum ejus antecessores respicis, de philosophia sibi comparavit, meritis, ac vi, quam non solum ad discipulos et assclas et suae aetatis et posteriorum temporum sed etiam ad vitam politicam habuit, magnopere excellit [4]). In Sicilia natus est Empedocles [5]): Abderae, Thraciae urbe, Democritus

1) Horn l. c. p. 335
2) Diog. Laërt. IX. 18.
3) Parmenides, Zeno aliique. Cf. Diog. Laërt. IX. 23, 25.
4) Diog. Laërt. VIII, 8. I. 12 — Cic. Tusc. V, 3. 4.
5) Diog. Laërt. VIII. — Pier. Nic. Bonamy, recherches sur la vie d'Empedocle, in Mém. de l'Acad. des Inscr. T. X.

*

floruit [1]) et, at nonnulli contendunt, jam ante eum Leucippus [2]), systematis, quod atomorum vocatur, auctor. Philosophia graeca cum Persarum expugnationibus ex Asia et seditionibus civilibus e magna Graecia pelleretur, in Graeciam propriam aufugit atque Athenis refugium invenit: quae urbs sicuti artium et litterarum graecarum, ita etiam philosophiae graecae sedes mox evasit. Ibi Anaxagoras, Clazomenis natus, primus intelligentiam rationalem mundi conditorem docuit [3]). Maximam autem ad ingenium philosophicum exercendum et excolendum Socrates [4]) (n. an. 469. Ol. 74, 4.) habuit vim. Multos numeravit discipulos ac sectatores, per quos multae ortae sunt scholae philosophicae. Inter omnes Socratis discipulos Plato eminet. Plato [5]) (n. an. 429. Ol. 87. 3.) solam rationem cognitionis fontem statuens ac philosophiam naturalem et ethicam conjungens primus philosophiae notionem, summam, complexum, formam, singulas ejus partes earumque inter se connexum definivit. De philosophia practica optime meruit, quasdam philosophiae partes pertractavit, notiones et sententias priores accurate examinavit novasque evolvit. Attamen verum philosophiae systema Plato nondum proposuit: Aristoteles [6]) (n. an. 384. Ol. 99.) demum, discipulus ejus celeberrimus, philosophiam in formam

1) Diog. Laërt. IX, 34, 44 sqq —
2) Diog. Laërt. IX. 33.
3) Diog. Laërt. II. 12 — Aristot. met. I. 3, 4.
4) Xenoph. et Plat. opp.
5) Plat. et Aristot. opp — Cic. — Plut. — Sext. Empir. — Diog. Laërt. — Apulej. de doctr. Plat. — Fr. Ast, Plato's Leben u. Schriften. Leipz. 1816. 8.
6) Aristot. opp. — Cic. — Plut — Sext. Emp. — Diog. Laërt. V. — Suidas.

systematis certis finibus circumscripti redegit, singularum praeterea disciplinarum philosophicarum notiones accurate definivit, earum materias secrevit, illasque iterum in totum conjunxit, amplificavit, auxit, proprio modo tractavit atque omnes sententias priores, sicuti Plato, examinavit. Per Platonem et Aristotelem, philosophos clarissimos, quorum ille temporibus posterioribus permultum valebat, philosophia graeca ad summam pervenit auctoritatem.

Graecis hac aetate philosophiam orientalem pernotuisse, certum est. Ephesi enim, commercio cum Oriente insignis [1]), placita orientalia cum Graecorum philosophia et mythologia valde commiscebantur, deae Ephesiae sacerdotes ipsi (*Μεγάβυζοι*) originem a Persis ducebant [2]). In Heracliti (Ephesi n. circ. an. 500.) philosophia vere miro modo Persarum ignis et luminis doctrina intelligitur [3]). Pythagoram cum viris Persarum et Indorum sapientibus aliquamdiu conjunctum fuisse, dubium quidem [4]); ab Aegyptiis tamen, ad quos proficiscebatur [5]), ut metempsychosis [6]) doctrinam, sicuti discrimen inter doctrinam

---

1) Heeren l. c. I. P. p. 394 sqq. — Strab. XIV. — Creuzer l. c. II. p. 195.

2) Cf. Tib. Hemsterhus. ad Lucian. Timon. I. p. 383. Bip Creuzer l. c. II. p. 195.

3) Aristot. met. I. 3. 7. de mundo c. V. de coelo I. 10. III. 1. — Diog. Laërt. IX. 8. — Creuzer l. c. II. p. 193.

4) Brucker. hist. philos. I. p. 1003 sqq. — Diog. Laërt. VIII.

5) Diog. Laërt. VIII.

6) Xenophan. frgm. ap. Diog. Laërt. VIII. 36. — Herod. II. 123. — Iamblich. vit. Pyth. c. XXIV. — Diog. Laërt. lib. VIII. 14. 31.

publicam et arcanam [1]) reciperet, fieri potuit. Democritus Magos et Brachmanes adiit [2]). Phaedonem, Socratis discipulum scholaeque Eliae auctorem [3]), juvenem in Indiam venisse, Suidas, Hesychius, Diogenes Laërtius narrant. Plato ipse aperte dixit, Graecos litteras a barbaris acceptas perfecisse [4]) et Pythagoram et se ipsum a barbaris, quos, ut Clemens Alexandrinus tradit, semper magni aestimabat [5]), nonnulla assumsisse: homines bonos post mortem vita beata frui, illos jam docuisse [6]). Optime e Timaeo apparet, philosophiam orientalem Platonem cognovisse eamque etiam quodammodo adhibuisse. Aristotelem Zoroastris doctrinae gnarum fuisse, e Diogene Laërt. videndum est [7]). Ibi Aristoteles dicit: *δύο εἶναι ἀρχάς, ἀγαθὸν δαίμονα καὶ κακὸν δαίμονα· καὶ τῷ μὲν ὄνομα εἶναι — Ὠρομάσδης· τῷ δὲ — Ἀρειμάνιος·* alio loco narrat, Persas unum principium supremum statuisse: *ἕτεροί τινες τὸ Γέννησαν πρῶτον Ἄριστον τιθέασι, καὶ οἱ Μάγοι* [8]). Megasthenes, qui nos primus de Brachmanum philosophia certiores fecit, dicit

1) Iamblich. l. c. c. XXIII. — Plut. de Iside p. 354. — Procl. lib. I. in Plat. Tim. p. 10. — Iablonski l. c. III. prolegom. § 51. — Buhle, Gesch. d. Philos. I. p. 232 sqq. —

2) Diog. Laërt. IX. 34. — Aelian. var. hist. IV. 20. — Hesych. et Suidas: ἦλθε γὰρ καὶ εἰς Πέρσας καὶ Ἰνδούς.

3) Diog. Laërt. II. 105.

4) Phot. p. 441. ed. Bekker: ὅ, τι ἂν καὶ παρὰ βαρβάρων μάθημα λάβωσιν οἱ Ἕλληνες, τοῦτο ἄμεινον ἐκφέρουσι.

5) Clem. Alex. p. 355. ed. Potter. — Valckenaer, de Aristobulo p. 73: nec negari potest, philosophemata quaedam ambos (Pyth. et Plat.) ex Oriente in Graeciam transtulisse.

6) Plat. in Epinomid. p. 1004. ed. Frankf.: ἀλλ' ὅπερ ἄκουσα, Ἕλληνές τε καὶ Βάρβαροι γεγηρακότες τινα χρόνον.

7) Diog. Laërt. prooem. n. VI. 8.

8) Aristot. met. XIV. 4

in tert. lib. Indic., omnia, quae veteres de rerum natura docuerint, Brachmanes quoque docuisse [1]). — Difficillimum quidem est dictu, quomodo et quatenus Graeci philosophia orientali usi sint: eos vero non solum eam cognovisse, sed etiam quodammodo adhibuisse, vix negari potest [2]).

Caput IV.

De philosophandi ratione Alexandri Magni ejusque successorum temporibus.

§. 16.

Quanti momenti philosophia orientalis, imprimis Zoroastris doctrina fuerit, hactenus vidimus: quis dicat, qualis futurus fuerit exitus, si illa doctrina diutius viguisset! Tota fere Asia unum idemque re-

---

1) Clem. Alex. p. 330. — Euseb. Praep. evang. IX, 6: *Μεγασθένης ἐν τῇ τρίτῃ τῶν Ἰνδικῶν ὧδε γράφει· ἅπαντα μέντοι τὰ περὶ φύσεως εἰρημένα παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, λέγεται καὶ παρὰ τοῖς ἔξω τῆς Ἑλλάδος φιλοσοφοῦσι, τὰ μὲν παρὰ τοῖς Ἰνδοῖς ὑπὸ τῶν Βραχμάνων* κ. τ. λ. — Alio loco ap. Strab. XV: *Περὶ πολλῶν δὲ τοῖς Ἕλλησιν ὁμοδοξεῖν (φησίν) ὅτι γὰρ γενητὸς ὁ κόσμος καὶ φθαρτός, λέγειν κἀκείνους, καὶ ὅτι σφαιροειδής, ὁ, τε διοικῶν αὐτὸν καὶ ποιῶν θεὸς δι' ὅλου διαπεφοίτηκεν αὐτοῦ· ἀρχαὶ δὲ τῶν μὲν συμπάντων ἕτεραι, τῆς δὲ κοσμοποιίας τὸ ὕδωρ. Πρὸς δὲ τοῖς τέτταρσι στοιχείοις πέμπτη τίς ἐστι φύσις, ἐξ ἧς ὁ οὐρανὸς καὶ τὰ ἄστρα. Γῆ δ' ἐν μέσῳ ἵδρυται τοῦ παντός· καὶ περὶ σπέρματος δὲ καὶ ψυχῆς ὅμοια λέγεται καὶ ἄλλα πλείω. Παραπλέκουσι δὲ καὶ μύθους, ὥσπερ καὶ Πλάτων περί τε ἀφθαρσίας ψυχῆς καὶ τῶν καθ' ᾅδου κρίσεων καὶ ἄλλα τοιαῦτα.*

2) Bohlen l. c. II. p. 328 sqq. — Colebrooke, Transact. I, p. 30.

ligionis fundamentum, in singulis terris aliter tantum formatum atque excultum, tum habuisset. Alexander autem hanc gravem Asiae veteris religionum cognationem in perpetuum sustulit atque animum politico-religiosum prorsus alium in Asiam protulit. Alexander enim Philippi patris, Macedoniae regis, cui, viginti annos natus [1]), in imperio successerat, (an. 336 a. Chr. Ol. 111, 1.) [2]) bellum Persis inferendi propositum [3]) peregit. Imperium cum domitis Thraciae populis victisque Thebanis [4]) in Europa muniisset, summus quoque Graeciae imperator electus [5]) (an. 335 a. Chr. Ol. 111, 2.) cum Graecorum et Macedonum exercitu [6]) in Asiam trajecit (an. 334 a. Chr. Ol. 111, 3.), Persas ad Granicum flumen vicit, Asiam minorem subjecit Persasque apud Issum denuo superavit [7]) (an. 333 a. Chr. Ol. 111, 4.). Syria, Phoenicia, Judaea (an. 332 a. Chr. Ol. 112, 1.) expugnatis [8])

---

1) Plut. vit. Alex. M. XI. — Arrian. expedit. Al. M. lib. I. — Alexander natus est an. 356 a. Chr. Ol. 106, 1. cf. St. Croix, diss. sur l'année de la naissance d'Alexandre etc. in examen critique des anciens histor. d'Alexandre le Grand ed. sec. Par. 1804.

2) Alii statnunt, Philippum regem mortuum esse an. 337 a. Chr. Ol. 110, 4. Alexander tum annum vigesimum nondum egisset, cf. St. Croix l. c.

3) Just. IX 5.

4) Diod XVII. 8 sqq. — Plut. l. c. XI sqq. — Arrian. l. c. I. 1—10. — Curtius, de reb. gest. Alex. M. lib. II. — Just XI. 3. 4 — Polyb. V. 10.

5) Plut. l. c. XIV. — Arrian. l. c. I. 1.

6) Plut l. c. XIV.

7) Diod. XVII. 17—39. — Plut. l. c. XV—XXIV. — Arr. l. c. lib. I. II. — Curtius l. c. lib. II. III. IV. — Just XI. 5—9.

8) Diod. XVII. 40—49. — Arr. l. c. II. 15 sqq. — Curt. IV. 1—9. — Just. XI. 10. — Plut. l. c. XXIV sqq. — Joseph. arch. XI. 8.

Alexander in Aegyptum movit (an. 331 a. Chr. Ol. 112, 2.) eam perdomuit atque Alexandriam urbem, quae mox tam commercii, quam litterarum sedes facta est, condidit [1]). Reversus ex Aegypto Darium Codomannum, Persarum regem, ad Gaugamela vel Arbela devicit (Ol. 112, 2.) [2]) Persarumque imperio finem imposuit. Reliquis quoque provinciis, quae Persis hactenus subjectae erant, in ditionem redactis [3]), in Indiam usque ad Hyphasin flumen penetravit [4]) (an. 327 a. Chr. Ol. 113, 2.) illamque hucusque parum notam aperuit; Nearchus imo. Macedonum classis dux, mare Indicum navigavit [5]). Anaxarchus, Onesicritus, Pyrrho, philosophi graeci, qui Alexandrum litterarum studiis, Aristotele praeceptore, praeclare imbutum ac philosophiam ejusque cultores admodum amantem [6]) comitabantur, in Indiam venerunt Indorumque philosophiam cognoverunt [7]). Quum populi Asiae, cujus provinciis victis Graeci aut Macedones praeponebantur, et colonis graecis in terras perdomitas abductis et mercatura, quae cum gentibus remotissimis fiebat, copiosa magis cum Graecis commiscerentur

---

1) Diod. XVII. 49 sqq. — Arr. III. 1 — 6. — Plut. l. c. XXVI sqq. — Strab. lib. XVII. — Curt. IV. 7 sqq. — Just. XI. 11.

2) Plut. XXXI sqq. — Diod. XVII. 53 sqq. — Arr. III. 8 sqq. — Curt. IV. 15 sqq. — Just. XI. 13 sqq. —

3) Diod. XVII. 63 sqq. — Plut. XXXIV sqq. — Curt. V — VIII. — Arr. III. 13 sqq. —

4) Diod. XVII. 83 sqq. — Plut. LVII sqq. — Arr. IV. 22. 28. V. VI. — Plin. hist. nat. VI. 17. — Arr. Indic. — Strab. XV. — Curt. VIII. IX.

5) Nearch. peripl. in Arr. Indic. — Strab. XV. — Plut. LXVIII.

6) Plut. de fort. Alex. X. Id. vita Alex. VII. — Diog. Laërt. V. 10.

7) Plut. vit. Alex. LXVI. — Diog. Laërt. IX. 61—108.

et, ut ita dicam, Oriens cum Occidente arctius conjungeretur, sicut Persarum religio moresque Persis imperantibus, ita nunc per Alexandrum Graecorum lingua, artes, mores in omnes terras Macedonum imperio subjectas diffundebantur [1]).

Imperium quidem ab Alexandro conditum post ejus mortem (an. 323 a. Chr. Ol. 114, 1.) mox perturbatum est, successores tamen litteris artibusque graecis valde favebant easque quam maxime propagabant. Seleucus Nicator regnum Syriacum (an. 301 a. Chr. Ol. 119, 4.) constituit [2]), Indiam usque ad Gangem occupavit [3]), ita ut haec terra, praesertim commercio florente etiam arctius cum ceteris conjuncta, postea per viros ibi commoratos, quibus prae ceteris Megasthenes adnumerandus est [4]), magis magisque notesceret. Novae urbes conditae sunt, litterae artesque graecae ubique sparsae [5]). Pergami quoque reges, imprimis Eumenes II. (an. 197—158 a. Chr.), qui bibliothecam instituit, et Attalus II., ejus successor, litteris graecis magnopere prospiciebant easque propagare studebant [6]).

---

1) Plut. de fort. Alex. V. — Diodor. XVII. 99, 104. — Arrian. expedit. Alex. M. III. 5, V. 19. VI. 15. VII. 12. — Curt. IV. 8. VII. 8. — De Graecorum xi scribit Seneca (Consol. ad Helv. c. 6.): in mediis barbarorum regionibus graecae erant urbes, inter Indos Persasque Macedonicus sonabat sermo.

2) Appian. de reb. Syr. c. 55.

3) Plin. VI. 17.

4) Megasth. Indic. perierunt: Arrian. autem et Strab. eis usi sunt.

5) App. l. c. 57. — Plin. VI. 28. — Strab. XVI.

6) Strab. XIII. 4. — Varro apud Plin. XIII. 11. — Liv. XXXVIII. 39. — Recherches sur les Rois de Pergame par C. A. Sevin. Mém. de l'Acad. des Inscr. XII. 204—214.

Inter omnes vero, qui Alexandri imperium inter se partiebantur, Ptolemaeus Lagi, Aegypti rex, (an. 307 a. Chr. Ol. 118, 2.) [1]) ejusque successorum plurimi [2]) artibus litterisque graecis, quibus colendis atque amplificandis eximie consulebant, institutionibus praeclarissimis maxime favebant. Alexandriae urbe, sicut antea Athenis, omnia artium ac litterarum imprimis graecarum [3]) genera, quae refugium auxiliumque ibi inveniebant, mox floruerunt posteaque in omnes terras ac populos inde emanarunt [4]). Quibus addas commercium, quod ab Alexandria cum omnibus nationibus fiebat [5]), litterarum studium adjuvisse: scripta Indorum et permultorum virorum, qui ex omnibus terris huc conveniebant, in bibliotheca Alexandriae celebri asservabantur [6]); ita facile factum est, ut philosophia orientalis [7]) etiam Alexandriam veniret. Pto-

Observ. sur l'hist. et sur les monumens de la ville de Pergame, hist. de l'Acad. d. Inscr. XXXVIII. 147 sqq. —

1) Just. XIII. 4. — Diod. XVIII. 14. — Lib. Ptolem. Lagi de vita Alex. script. Arr. l. c. c. 1 prooem.

2) Athen. XII. 539.

3) Ammian. Marcellin. XXII. 9. — Diog. Laërt. II. 111.

4) Diod. XVII. 52. — Strab. XVII. — Tac. hist. IV. 83. — Matter, essai historique sur l'école d'Alex. Tom II. Par. 1820. — Allg. Encykl. der Wissenschaft. u. Künste von Ersch u. Gruber Th. III. p. 49 sqq. — Descript. de l'Egypte Par. 1809. — Heyne, de genio saeculi Ptolem. Opusc. acad. I. 79 sqq. — Athen. Deipn.

5) Strab. l. c. — Athen. V. 203.

6) Diod. ap. Phot. p. 380 ed. Becker. — Salmas. exercit. Plin. p. 475. — Damasc. ap. Phot. p. 340. — Mém. de l'Acad. des Inscr. IX. p. 401.

7) Buddhaismus quoque, tempore Sandracotti, Indiae regis, qui cum Seleuco Nicatore commercium habebat, in India vulgatus, facile in Asiam anteriorem atque Indiae cum Aegypto

lemaeus Lagi Hierosolymis captis ex Palaestina magnam Iudaeorum multitudinem in Aegyptum transtulit [1], quorum multos postea Ptolemaeus Philadelphus in libertatem restituit et in aulam atque exercitum recepit [2]: itaque temporibus posterioribus sententiarum ac doctrinarum variarum, et orientalium et occidentalium, commixtionem Alexandriae, ubi philosophiae studium maxime florebat et omnis scholae versabantur sectatores, inveniri non mirum [3].

§. 17.

Quamquam ab Alexandro Magno ejusque successoribus Graecorum artes, litterae et cum his philosophia graeca, quae hac aetate ab Aristotelis et Platonis discipulis ac sectatoribus, Pyrrhone, Epicuro, (nat. an. 342 a. Chr.) Zenone (nat. circ. an. 340 a. Chr.) eorumque assectis colebatur et a Romanis quoque excipiebatur (circ. an. 155 a Chr.) [4], late propagatae sunt, ingenii tamen orientalis vis non tantopere exstincta est, ut ab alio alia praecepta non reciperentur. Anaxarchum ab Indis didicisse, Diogenes Laërtius narrat [5]. Sub Arsacidarum, Parthiae regum, imperio Zoroastris doctrina denuo publica restituta est [6]. Clarissima vis orientalis in Aegypto apparet. Quum enim philo-

---

conjunctione Alexandriam pervenire poterat. Cf. Bayer, hist. r. Bactr. Stohr l. c. p. 142.

1) Joseph. arch. XII. 1.

2) Joseph. arch. XII. 2.

3) Brucker. hist. philos. Tom. I. p. 1352 sqq. — Heyne, l. c.

4) Levezow de Carneade, Diogene, Critolao et de causis neglecti studii philosophiae apud antiquiores Romanos. Stett. 1790.

5) Diog. Laërt. IX. 16.

6) Just. XLII. — Strab. XI. 9. Cf. Malcolm, history of Persia.

sophia graeca magis magisque spargeretur, etiamque in Aegypto florere inciperet, Aegyptiorum sacerdotes, ne auctoritatem apud plebem omnino perderent, eruditione quadam philosophica excellere coacti sunt. Philosophia orientalis jam dudum iis nota causis, quas supra memoravi, tum magis patuit: quid ergo mirum, quod ii, qui philosophiam graecam sequi nollent, modo orientali philosophati sint. Numen supremum, omnium rerum fontem, quod vocabant Athor [1]) i. e. σκότος ἄγνωστον [2]), numen absconditum, ut Indi, Persae, Phoenices docent, statuerunt. Athor procreavit ovum [3]), quod significat materiam, terram coelumque nondum separatum [4]). Ex ovo prodit Phthas (Osiris) s. Phanes, Cneph, i. e. spiritus bonos [5]), lucidos, fulgens, materiam ordinans, mundi opifex, Deorum hominumque pater, sicuti Persarum Oromazes [6]). Huic Deo bono obstat spiritus malignus, Tithrambo (Typhon) [7]). Duorum igitur principiorum, et boni et mali, doctrina tunc aperte affirmatur. Aegyptios hoc demum tempore philosophia graeca motos duo principia, et bo-

1) Cf. Etymolog. Magn. s. h. v. Jablonski, panth. Aegypt. Tom. I. c. 1.

2) Damasc. secundum Asclepiadem, qui Ptolemaeorum temporibus vixit, ap. Wolf, anecd. gr. Tom. III. p. 260 sqq. — Zoëga in Biblioth. d. a. Litt. u. Kunst, herausgb. v. Tychsen u. Heeren. St. 7. p. 68.

3) Vid. Indorum doctrinam.

4) Euseb. praep. ev. III. 11. — Jablonski l. c. I. c. 2. p. 41 sqq. —

5) Euseb. l. c. I. 10. — Jablonski l. c. c. 4. p. 81 sqq. c. 2. p. 43.

6) Euseb. l. c. III. 11. — Amm. Marcellin. XXVII. — Callisthenes ap. Fabric. bibl. gr. XIV. 149. — Zoëga l. c. p. 49. — Horapollo Hierogl. I. 10. 64. — Jablonski l. c. c. 3. 4.

7) Epiph. adv. haer. lib. III. p. 1093. — Jablonski l. c. c. 3.

nam et malum, distincte docuisse, certum est: hoc enim narrat veterum scriptorum nullus, neque Herodotus, neque Plato, qui cum Aegyptiorum sacerdotibus versati erant [1]). Cum vero sacerdotum interesset demonstrare, doctrinam, cujus etiam plebs particeps fiebat, omnino non novam esse, mirum non est, quod nominus omnibus nota, ad quae ideas novas transferrent, illi elegerint. Posthac autem philosophia graeca cum imprimis Alexandriae auctoritatem obtineret magnam, Aegyptiorum sacerdotes philosophiam quoque graecam amplexi sunt; itaque, ut ex Plutarcho, Jamblicho [2]) aliisque scriptoribus posterioribus satis apparet, sententias Aegyptiacas, orientales, graecas a sacerdotibus mixtas animadvertimus. Postremo Graecorum vis tanta erat, ut sacerdotum auctoritas fere exstingueretur; ac facile est intellectu, quomodo Strabo [3]), cum in Aegypto commoraretur, sacerdotes homines philosophiae litterarumque ignaros repererit.

§. 18.

Judaei quoque hac aetate cognitione sublimiori, speculationibus quibusdam ac religiosis philosophia excellere studebant; nam, ut jam dictum, philosophiae orientalis gnari, tum, postquam Alexandro mortuo multi a Seleuco Nicatore, Syriae rege, in Asiac urbes ab ipso conditas [4]) atque Palaestina ab Aegyptiis expugnata in Aegyptum quoque abducti sunt, philosophiam,

1) Strab. XVII. — Diod. I. 96.

2) Plut. lib. de Isid. et Osir. — Jamblich. de myster. Aeg. ed. Galé. Oxon. 1768. fol.

3) Strab. XVII. — Cf. Vogel, Versuch über die Rel. d. alt. Aegypt. u. d. Gr. Nürnb. 1793. 4. —

4) Joseph. arch. XII 9.

religionem, linguam, litteras graecas cognoverunt: quin imo, cum postea sub Syriae regum potestatem redacti essent [1]), non solum Graecorum linguam et litteras receperunt, sed etiam Antiocho Epiphane religionem graecam subire coacti sunt [2]). Ita utriusque philosophandi generis et orientalis et graeci vis hac aetate facile explicatur.

In Palaestina **Pharisaei** paulo post Alexandri M. mortem orti sunt (circ. an. 300 a. Chr.) [3]). Jam nomen, quod nonnulli derivant a voce פָּרַשׁ separare, alii a voce פָּרַשׁ interpretari [4]), Pharisaeos prae ceteris Judaeis altiori gloriatos esse scientia ostendit. Hi cum Zoroastre, esse regnum boni et mali ejusque certamen, spiritus malos, qui mali auctores Satana duce ubique malum spargant homnesque corrumpant, bonos, qui Dei ministri homines bonos adjuvent, plane consentiunt [5]).

---

5) Joseph. arch. XII. 2. 4. — Polyb. V. 71. — 1 Macc. I. VI. — 2 Macc. IX.

3) Joseph. l. c. XII. 3. — Tac. hist. V. 8. — 1 Macc. 1. 12 sqq. 1. 43.

1) Joseph. arch. XIII. 5. 9: κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον (Jonath. temp.) τρεῖς αἱρέσεις τῶν Ἰουδαίων ἦσαν (i. e. erant, non oriebantur). Trium scriptorum illustrium de tribus Judaeorum sectis syntagma, in quo Nicol. Serrarii, Joh. Drusii, Jos. Scaligeri opuscula, quae eo pertinent, exhibentur. 1703. 4. — Beer, Gesch., Lehren und Meinungen aller bestandenen und noch bestehenden religiösen Secten der Juden und der Kabbala, Brünn 1822 2 Bd. 8.

2) Suid. sub voce φαρισαῖοι. — Epiph. haer. XVI. — Joseph. bell. jud. I. 5. 2. — Serr. et Drus. l. c. — Ugolini thesaur. antiquit. sacrarum. Tom. XXII p. VI. sqq.

3) Joseph. arch. XVIII. 1. 2: Ἰουδαίοις φιλοσοφίαι τρεῖς ἦσαν ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου τῶν πατρίων haec verba non demonstrant,

Praecipue Judaeos Alexandrinos, qui postea hellenistae nominabantur, scientia sublimiori doctrinae judaicae, qualis adhuc fuerat, limites excedere apparet. Sub Ptolemaeo II. rege [1]) a Judaeis LXX. vetus testamentum in linguam graecam translatum est: jam in hac conversione, quae in locis quibusdam a textu hebraico recedit, Deus prorsus invisibilis, nec sensibus percipiendus, ut in philosophia orientali et graeca, praecipue Platonica [2]), describitur: sacri autem libri hebraice scripti Deum hominum mundique rebus visibiliter atque immediate intervenientem proponunt [3]).

Majorem cognitionis progressum sectae Essenorum et Therapeutarum, quae Ptolemaeis regibus florebant, judaicae ostendunt. Initio una tantum secta constituta est, postea vero cum nonnulli a doctrina communi abirent, duae ortae sunt partes, quarum altera, quae Ptolemaeo Philadelpho permittente in Palaestinam redierat, pagos atque urbes circa mare mortuum inhabitavit, et propriam sectam, Essenorum no-

---

Pharisaeos ab aliis populis nihil in doctrinam recepisse. Josephus enim Judaeos reliquis populis semper praefert. Cf. Joseph. arch. XIII. 9, XVIII 1. 3. bell. jud. II. 8, 14 Nov. Test. in plur. loc. Bruck. hist. crit. philos. Lips. 1742. 4. Tom. II. p. 750 sqq. Drus. et Serr. l. c. lib. II. Beer l. c.

1) Joseph. arch. XII, 2. — Verisimiliter jam sub Ptolemaeo I. versio veteris testamenti graeca incepta est. Cf. Joseph. arch. prooem. sect. 3.

2) Cf. Plat. de rep. VI p. 119 sqq. II. 250 VII. 132. Phaedr. p. 246. 250. de legg. VII. p. 387. X. p. 69 sqq. Phileb. p. 213 sqq. Definit. p. 257. Tim. 317 sqq. de rep. II 255. 246 sqq. de legg. XII. Tim. 331.

3) Gfroerer, Gesch. d. Urchristth. 1. Bd. Philo u. d. Alexandrin. Theosophie. 2 Th. (Stuttg. 1831) p. 18 sqq. —

mine, condidit: altera autem, Therapeutarum nomine, in Aegypto remansit et circa Alexandriam habitavit. Therapeutarum doctrina magis refertur ad speculationes, doctrina Essenorum ad actus humanos regendos. Utrique, praecipue Therapeutae [1]), vitam contemplativam degebant, contemplatione mystica excellebant, Deum esse prorsus invisibilem, incomprehensibilem, lumen purissimum, mundum intelligibilem inter Deum et mundum visibilem intercedentem, spiritum materiae oppositum, animam corporis custodia teneri, animam esse immortalem, corpus interiturum docebant. Itaque erat eorum vita abstinens, tranquilla, pia, atque interpretatio veteris testamenti allegorica [2]) praecipua occupatio.

Apud Therapeutas et Essenos vis quam orientalis tam graeca cernitur: illa, dum docetur Deum lumen purissimum, incomprehensibilem, mundum intelligibilem [illegible] spiritibus coelestibus, qui inter Deum et mundum visibilem intercedant, esse impletum: haec, imprimis Platonica [3]), dum Deum esse prorsus invisibilem, incomprehensibilem, mundum idealem et realem, animam corpore tanquam custodia teneri statuitur.

1) Philo derivat Therapeutarum nomen e θεραπεύειν τοῦ θεοῦ, θεραπευταὶ τοῦ θεοῦ, qui Dei contemplatione penitus occupantur. Cf. Philo, de vict. offerentib. 854. de monarch. p. 816. de decalog. 780.

2) Philo, quod omn. prob. lib. p. 878 sqq. ed. Mangey. de vit. contemplat. p. 891 sqq. 473. — Joseph. de bell. jud. lib. II. 8. 12. 13. — Horn l. c. p. 240 sqq. — Eichhorn, allgem. Bibl. V. 2.

3) De Deo cf. locos e Plat. opp. supra citatos. — De mundo ideal. et real. cf. Plat. de rep. VI p. 118 sqq. VII. p. 133 sqq. 158. Tim. p. 300 sqq. 332. 341. 427. de rep. VII. p. 160. 164. 156. 158. Phileb. p. 244. 313 sqq. 301 sqq. Sophista p. 266. Polit. p. 30. — De corp. anim. custod. cf. Phaed. Tim. p. 90. — Indi quoque de anima corpore ligata loquuntur.

Quodsi praeterea ad vivendi rationem et institutiones, ex quibus gradus superiores et inferiores discernuntur, spectamus, magna cum placitis Pythagoreis [1]) similitudo elucet.

§. 19.

Sacri quoque libri, quos vocant **Apocryphos**, Judaeos de Deo rebusque divinis subtilius sensisse demonstrant. Hi libri Alexandriae, ubi lingua graeca in usu erat quam maximo, sub Ptolemaeorum imperio saeculo secundo a. Chr. lingua graeca scripti sunt. Dogmata de Deo, lumine lucido, omnium spirituum animantiumque fonte, de tenebris, mali principio cum lumine certante, de bonis malisque spiritibus eorumque vi, quam in mundum corporalem exercent, in illis constituta, quanti momenti philosophia orientalis imprimis Zoroastris doctrina in Judaeorum eruditione fuerit, aperte monstrant [2]). Praecipue autem ratio, quae inter Deum et mundum in libro Sapientiae intercedit, observanda est. Dei voluntas ipsius ideis imprimis **sapientia** gubernata ac definita proponitur. Sapientia in Deo est, ante mundi creationem e Deo substantialiter prodiit lucis primariae repercussus, Dei imago est, cum Deo mundum creat et servat et regit, omnem intelligentiam ac prudentiam efficit, homines amat, cum iis bona quidem se conjungit,

1) Cf. Drus. et Serr. l. c. Bb. III. Baur l. c. p. 46 sqq. Matter l. c. I. p. 91 sqq. Neand. Kirchgesch. I. 1. p. 56 sqq. p. 78 sqq. Bellermann, geschichtl. Nachrichten aus d. Alterth. über d. Essäer u. Therap. Berl. 1821. 8.

2) Cf. V. T. libb. Sirach. Tob. Sap. Macc. Bar. De Wette, bibl. Dogm. 3te Aufl. p. 120 sqq. Id. Einleit. in d. Schr d. A. u. N. T.

omnia penetrat, et cum principio malo pugnet [1]. Platonis doctrinam rationis vel mentis divinae (λόγος, νοῦς), idearum, secundum quas Deus mundum formaverit [2]) et quae cum hominum animis, ipso cum mundo jungantur [3]), in his placitis de sapientia divina propositis relucere, cuique erit in aperto. Attamen multa similia in philosophia orientali inveniuntur: ita sapientiae, quae substantialis ac persona propria cogitatur, Dei verbi creantis (Zoroastris Honover, Indorum Oum) doctrina. Praeterea animam immortalem, corpus esse animae custodiam, quod jam Indi significaverunt, Plato autem clare exposuit, in ipso libro Sapientiae docetur [4]).

Philosophia graeca cum plurimum Alexandriae valeret, singulos Judaeorum viros doctos, ut religionem suam subliniorem redderent, movit. Philosophia igitur graeca, imprimis Platonica, religioni judaicae immiscebatur; cum vero philosophia quoque orientalis Alexandriae pernota esset, haec et ipsa illi adjungebatur [5]). Judaei enim hac conjunctione philosophiam graecam suis commendare, religionem judaicam contra impetus philosophorum Alexandrinorum firmare et defendere atque hos ipsos ad illam adducere volebant, quare etiam Platonem ex libris Judaeorum sacris multa

1) Lib. Sap. VII. 7. 17 sqq. VIII. 1 sqq. IX 2. 9. IX. 17. X. 1 sqq. I. 4. VII. 24. VI. 10 sqq. — De Wette, bibl. Dogm. p. 125 sqq. Baur l. c. p. 48. sqq —

2) Locos vid supra. — De λόγος Platonic. cf. de rep. VII. p. 133. VI. p. 120. Bip Tom. VII. Phileb. p. 219. 244. 248.

3) De mundi anima cf. Tim. p. 210 sqq. Phileb. p. 244. Polit. p. 38 sqq. —

4) Lib. Sap. IX. 15. II. 23 — 24

5) Orig. c. Cels. IV. p. 198.

*

depromsisse contendebant [1]) et allegorica librorum sacrorum interpretatione utebantur. Ita religionis philosophia judaica orta est. Judaeorum primus, quem illam viam calcasse scimus, Aristobulus Alexandrinus est. Ejus scripta interierunt; de lege Mosaica commentarium scripsisse et Ptolemaei Euergetis II. praeceptor fuisse dicitur [2]). Aristobulus philosophiae graecae studio ita deditus erat, ut philosophi Peripatetici cognomine afficeretur, quamquam potius, cum Platonem magis sequeretur, Academicus nominandus est [3]).

§. 20.

Inter hos Judaeorum philosophos Alexandrinos Philo (nat. Alexandriae circ. an. 20. v. 25. a. Chr.) eminet. Philosophiam non solum graecam, praecipue Platonicam, cum religione judaica contexnit, sed etiam sententias orientales adjunxit, quod philosophiae Platonicae philosophiam orientalem admiscebat; quare a nonnullis philosophorum Alexandrinorum, quos vocant Neo-Platonicos, primus habetur [4]). Philo imaginandi vi, ut quasdam enanciationes, quas Plato tropice usurpabat, ad verbum adhiberet, adductus est; quod eo facilius fieri poterat, cum Plato compluribus locis secum pugnare videretur. Itaque Philonem inter-

1) Euseb praep. ev. XIII. 12. — Phila, quod omn. prob lib. p. 893. de judic. p. 719 quod mund. sit incorp. p. 940.

2) Buhle l. c. IV. 134 sqq. — Brucker hist philos. Tom. II. p. 698.

3) Euseb. l. c. — Valckenaer, diatribe de Aristob. Judaeo, philos. Peripatetico, Lugd. Bat. 1806. 4

4) Frid. Bouterwek, philosophor. Alexandrin. ac Neo-Platonicor. recensio accuratior, commentat. in Societ. Gott. habita 1821. 4 (Cf. Gött. gelehrt. Anzeig. 166—167. St. 1821.)

dum falso intellexisse Platonem videbimus. Cum Philo, ut jam dictum, religionem judaicam contra impetus philosophorum ethnicorum defendere ipsamque fontem, ex quo philosophi graeci hausissent, proponere studeret, sicuti Pythagoras et Orientis populi, doctrinam publicam et arcanam distinxit; ideoque librorum sacrorum interpretationem ad verbum factam et allegoricam assumsit [1]). — Ejus vero doctrina haec est: Deus est invisibilis, nec comprehendi potest [2]), Deus est lux primaria (πρῶτον φῶς), quae radios innumeros ex se emittit animasque illuminat [3]); mundi anima (νοῦς των ὅλων), mundi formationis ac conservationis causa efficax (δραστήριον αἴτιον) [4]). Secundum substantiam suam Deus in nullo loco existit, sed extra mundum corporalem habitat, sui ipsius et universi locus est (τόπος καὶ χώρα ἑαυτοῦ) i. e. se ipsum implet et determinat (πληροῖ καὶ περιέχει ἑαυτόν) [5]); secundum autem virtutes et attributa Deus ubique est [6]). Deus est ante tempus, quod in mundo creando oriebatur, temporis archetypum [7]). Deus est immutabilis, infinitus [8]), perfectissimus, beatissimus, benignissimus, justissimus omnisque boni et pulchri causa; solus sapiens atque omnis hominum sapientiae fons [9]). Deus

1) Philo, quod Deus. p. 301. de ling. conf. p. 329.
2) De nomin. mutat. p. 1044. 1045.
3) Philo, de somn. I. p. 576. de opif. p. 9. ed. Mangey.
4) De mund. opif. p. 9.
5) De somn. I. p. 575.
6) De ling. conf. p. 339. 344. 349.
7) Quod Deus sit immut. p. 298.
8) Quod Deus immut. p. 296. 297. — De nom. mutat. p. 1048.
9) De cherub. p. 122. de legat. ad Caj. p. 992. de plantat. p. 226. de sacrif. Abel. et Cain. p. 141. 148. quod Deus immut. p. 304.

ab eo tantum, qui mentem rebus humanis liberat Deumque vere veneratur, vi a Deo ipso profecta, intuitu interiori (contemplatione mystica) cognosci potest [1]). Non autem cognoscitur ejus essentia sed sola ejus existentia, quare nomen ejus solum justum Ens (τὸ ὄν) [2]). — Apparet doctrina Platonica de Deo infinito, absoluto, immutabili, reali, (ὄν) [3]), mente non comprehendendo, atque orientalis de Deo incomprehensibili, abscondito, lumine primario, de contemplatione mystica statuta. Plato autem cum de contemplatione divina loquatur, contemplationem divinae animae nostrae partis ejusque post mortem status, neque vero proprium Dei in hac vita intuitum intelligit [4]).

Dei, lucis primariae, virtutes et attributa tanquam radii per totum mundum effunduntur, eumque continent [5]). Has omnes virtutes Deus mente sua (λόγῳ) manifestat. *Λόγος* est in Deo (λόγος ἐνδιάθετος) dum Deus ideas omnium, quae fient, in mente sua format; λόγος vero etiam est mundus idealis, intelligibilis (κόσμος νοητός), Dei revelatio, imago (εἰκών, χαρακτήρ), exemplar (ἀρχέτυπον), secundum et per quod

1) De opif. p. 15. de monarch. p. 116.

2) De nom. mutat. p 1045. de somn. I. p. 599.

3) Vid. loc. supr. citat. Definit. p. 287. Tim. p. 317. 318. de rep. II. p. 250 — 55. Cratyl 297. Tim. 305; Alcib. I. 65. Epinom. 260. 254 sqq. Sophist. 299. 300. Polit. 30. — De Plat. ὄν Phaedr. p. 247. Sympos. p. 210. 211. Parmen. 132. Tim. 75. — De tempor. imag. aet. Tim. p. 37.

4) Alcib. I. 65. 68. Phaedr. p. 322.

5) Phil. de migrat. Abrah. p. 325 sqq. de somn. I. 376. de nom. mutat. p. 1045. Cum Philo dicat, virtutes tanquam radios solis e Deo prodire, doctrina emanationis orientali tropice tantum utitur.

Deus mundum sensibilem (κόσμος αἰσθητός) formavit (λόγος προφορικός) [1]) eumque conservat et regit [2]): archangelus, qui inter Deum hominesque intercedit [3]), Dei filius natu maximus, primogenitus [4]), a Deo secundum locum differt [5]), ipse tamen est Deus, alter Deus [6]). — Quod liber Sapientiae σοφίαν, quod Plato ideas, mundum idealem nominat, Philo appellat λόγον. Hic totum mundum Platonis idealem amplectitur. Philo autem discrimen facit inter ideas, quae ex aeterno tempore in Deo sunt (λόγος ἐνδιάθετος) et quae sunt Platonis ideae, atque inter ideas et virtutes, quae extra Deum existunt tanquam verae substantiae (λόγος προφορικός). Mundus igitur idealis est substantialis, hypostaticus. Etiamsi Philo hac in re de Platonis sententia decedit, Platonis tamen placita, quae ideas mentemque divinam modo substantiales, modo non substantiales proponere videntur [7]), facile efficere poterant, ut Philo ideas substantiales cogitaret. Praeterea Dei virtutes substantiales cogitari, ut liber Sapientiae docet, sententia ex Orientalibus

1) De vit. Mos. III, p. 672. de Cherub. p. 118. de conf. ling. p. 341. de plantat. p. 217. de Cherub. p. 130. de migrat. Abrah. p. 389. de conf. ling. p. 229.

2) De opif. p. 3, 5. de plantat. 217. de migrat. Abrah. p. 389. de agric. p. 122. 133.

3) Quis rer. divin. haer. p. 509, 397. de vit. Mos. III. p. 673.

4) De conf. ling. p. 329. de migrat. Abrah. p. 389.

5) De somn. p. 447.

6) De somn. p. 529. Philon. quaest. et solut. ap. Euseb. praep. ev. VII. 13. Cf. Stahl, Versuch eines systemat. Entwurfs des Lehrbegr. Philo's v. Alexandrien in Eichhorn's allg. Bibl. der bibl. Litt. Bd. IV. St. 5. p. 774 sqq. —

7) Cf. loc. supr. citat. de ideis et mente divina. — De rep. VII, 133. dicit Plato: mentem (νοῦς) esse progenitam a Deo.

recepta et usitata erat, ideoque quod Philo λόγον substantialem inter Deum atque homines intercedentem et verbum creans (λόγος προφορικός) statuit multisque imaginibus, quibus Persae et Indi, utitur, philosophiae orientalis vis apparet.

§. 21.

Philo cum, ex nihilo nihil fieri [1]), diceret, materiam aeternam (τὸ ἐξ οὗ) statuit, e qua Deus (τὸ ὑφ' οὗ), mente divina, (λόγος-τὸ δι' οὗ) benignitate (τὸ δι' ὅ) ductus, mundum visibilem [2]), mundi intelligibilis effigiem [3]), creavit. Platonem loquentem audimus: materia est aeterna, e qua Deus mundum visibilem (τόπος αἰσθητός), mundi intelligibilis (τόπος νοητός) effigiem, formavit [4]). Philo materiam quoque appellat τὸ οὐκ ὄν [5]) s. οὐκ ὄντα, sicuti Plato τὸ μὴ ὄν); propterea autem materiam non absolute nihil sed rem invisibilem, forma, motu, harmonia carentem, profert. — Philo Platonis materiae notionem adhuc amplificat: materiam

---

1) Quod mundus sit incorruptus p. 939: ὥσπερ γὰρ ἐκ τοῦ ὄντος οὐδὲν γίνεται etc.

2) De Cherub. p. 129: πρὸς τὴν τινος γένεσιν πολλὰ δεῖ συνελθεῖν τὸ ὑφ' οὗ, τὸ ἐξ οὗ, τὸ δι' οὗ, τὸ δι' ὅ· καὶ ἔστι μὲν ὑφ' οὗ, τὸ αἴτιον ἐξ οὗ δὲ, ἡ ὕλη δι' οὗ δὲ, τὸ ἐργαλεῖον δι' ὃ δὲ, ἡ αἰτία . . εὑρήσεις γὰρ αἴτιον μὲν αὐτοῦ (τοῦ κόσμου) τὸν θεόν, ὑφ' οὗ γέγονεν· ὕλην δὲ, τὰ τέσσαρα στοιχεῖα, ἐξ ὧν συνεκράθη· ὄργανον δὲ λόγον θεοῦ, δι' οὗ κατεσκευάσθη· τῆς δὲ κατασκευῆς αἰτίαν τὴν ἀγαθότητα τοῦ δημιουργοῦ.

3) Vid. l. l. de opif. p. 3. 4.

4) Phileb. Tim. — Tim. 322. 341. 345. 350 sqq. 437. Phileb. 235—241. Plut. de phys. philos. decretis. I. c. 3: Σωκράτης — καὶ Πλάτων τρεῖς ἀρχάς, τὸν θεόν, τὴν ὕλην, τὴν ἰδέαν. — Plat. de rep. VI. 118. VII. 133. 152. — Zuroastres quoque mundum visibilem ab Oromaze creatum mundi invisibilis imaginem appellat.

5) Quod mund. sit incorp. p. 903.

non solum forma carere, sed etiam perturbatione et confusione (ἄτακτος καὶ συγκεχυμένη) plenam ideoque cum tenebris [1]) comparandam esse.

Aër spiritibus immortalibus, bonis (ψυχαί) repletus est, qui Deo ministrant, hominum saluti prospiciunt [2]) iisque corpore imaginario praediti [3]) se offerunt. Horum sunt varia genera et perfectiora et imperfectiora [4]). Angeli mali non sunt: in quibus locis scripturae sacrae inveniuntur, homines mali intelligendi sunt [5]). Dicta ostendunt, Philonem daemonum doctrina orientali usum esse.

Homo corpore et anima (ψυχή) constat [6]). Cum corporis creatio Deo indigna sit, corpus a daemonibus creatum est [7]): anima autem duplicis generis: rationalis (τὸ λογικόν, νοῦς), quae a Deo orta, Dei imago ideoque immortalis est [8]) et ante corporis creationem jam exstitit [9]); irrationalis (τὸ ἄλογον), quae libidinum

1) Philo, sacr. leg. allegor. p. 70. de praem. et poen. p. 709.

3) De somn. I. p. 575. 583. de gigant. p. 213. de migrat. p. 415.

3) In quibus igitur V. T. locis de Dei apparitionibus sermo est, angelorum apparitiones sunt intelligendae. De somn. I. 575. 586 sqq. de somn. II. 1142. de gigant. p. 285 sqq. De plantat. p. 216. de migrat. p. 415. de Abr. 366 de profug. p. 431. — Buddhaismus quoque docet, Buddhas in terra corpore imaginario indutos hominibus apparere.

4) De plantat. p. 213. de somn I. 586.

5) De gigant. p. 286.

3) De eo quod deter. p. 186.

7) De opif. p. 15. 13. de ling. conf. p. 343. de profug. p. 460.

8) De opif. p. 31. 33. de vit. Mos. II. 653. de eo quod deter. p. 170 de Abrah. p. 385. quid rerum div. p. 513.

3) De somn I. 599 de opif. p. 31. 33 de migrat Abrah. p. 385.

(τὸ θυμικὸν) et cupiditatum (τὸ ἐπιθυμητικὸν) sedes, mortalis et a daemonibus hamini insita est [1]). Corpus est animae rationalis carcer, sepulcrum, loculus (δεσμωτήριον, σορός, τύμβος) [2]). Plato quoque animam in duas dividit partes, in rationalem a Deo ortam (λογιστικόν), quae ante corporis creationem jam exstitit, in irrationalem (ἀλογιστικόν), quas θύμος, θυμικόν, θυμοειδές conjungit [3]), rationalem immortalem, irrationalem mortalem esse [4]). Corpus esse animae custodiam, Plato et Indi docent.

Malum partim nascitur elementorum mutatione, partim necessarium est, ut universum conservetur hominesque mali puniantur: maximam autem partem hominum ipsorum culpa contrahitur [5]). Ut homines malum vincant, mens divina (λόγος) atque angeli iis auxilio veniunt [6]). Animae bonae, cum vita ad finem perducta sit, in aetherem evehuntur ibique felicitate aeterna fruuntur [7]); animae malae denuo cursum petere coguntur [8]). Philo igitur, sicut Indi, metempsychosin docet.

Explicatis nunc Philonis placitis summa ejus philosophiae patet: doctrina de Deo, mente divina (λόγος),

1) De migrat. Abrah. p. 413. de ling. confus. p. 340. de profug. p. 460, de mund. opif. p. 16.

2) De migrat. Abrah. p. 389 sqq. —

3) De rep. IV. 349. Polit. IV, 439, 440, de legg. X. 96 sqq. Timaeus. Phaedon. — Persae quoque animam humanam a Fervero, anima coelesti, distinguunt.

4) Phaedrus. Phaedon. Phileb. p. 211 sqq. Sophist. p. 268 Tim. p. 386 385 sqq. de rep. VIII. 203 IX. 239.

5) De provid. p. 641 sqq. —

6) De somn. p. 587. de profug. p. 464.

7) De somn. p. 586.

8) De somn. p. 586.

materia et anima invicem se oppugnantibus, mundo ideali et reali.

Hae sententiae sublimiores quin in Palestinam quoque migraverint, cum Judaei Alexandrini Palaestinensibus semper conjuncti essent, dubitari nequit. Jam Pharisaeos et Essenos religionem judaicam ex philosophia, tam graeca, quam orientali, conformare studuisse vidimus. Multi Judaeorum Babylone habitantium, ut saeculo primo a. Chr. Hillel, Rabbinus [1]), in Palaestinam profecti, domiciliis ibi collocatis, philosophiam orientalem vulgarunt et colaerunt. Philosophiae graecae studium a Maccabaeis interdictum [2]) mox autem receptum denuo florebat [3]), cum Pompejus an. 63. a. Chr. Palaestinam occupasset [4]). Veteris testamenti conversione graeca, quae tum in Judaea propagabatur, sicuti libris apocryphis sententiae orientales et graecae, religioni judaicae commixtae, in Palaestina indeque inter ceteros Judaeos Asiaticos longe lateque diffundebantur; quare Judaeorum viri docti, ut religio adhuc integra demonstraretur, librorum sacrorum interpretandi ratione allegorica uti cogebantur.

---

1) Matter l. c. I. 111.

2) J. L. Heubneri comment. de academ. Hebr. (Vit. 1709) p. 8. — F. M. Jost, Gesch. der Israeliten seit der Zeit der Maccab. bis auf unsere Tage. 1820—26. 6 Thle.

3) Born l. c. p. 400 sqq. —

4) Joseph. arch. XIV. 4. bell. jud. I. 7. — Strab. XVI. 2. — Tac. hist. V. 9.

Caput V.

De philosphandi ratione primis aerae christianae temporibus.

§. 22.

Immenso Romanorum imperio, totum fere orbem terrarum tum notum amplectente, Occidentis et Orientis terrae remotissimae quoque, quae Romanis aut subjectae erant, aut attingebant Romanorum imperii fines, arcte conjungebantur, maximaque cogitationum communicatio et permutatio inter eas oriebatur. Itaque vero animorum nexus non eadem indoles, neque orientalis, ut Persarum imperio, neque graeca, ut maximam partem Alexandri ejusque successorum aetate, praevalebat. In capite praecedente jam vidimus, quomodo Judaei varia systemata philosophica cum religione judaica conjungere conarentur: philosophicum Graecorum ingenium, proprium, perscrutans fere interiit, quod eorum libertas a Romanis exstincta erat et Alexandria, litterarum tum sedes, magna populorum variorum conjunctione, magna cognitionum propagatarum copia, magnis, quae Ptolemaei, alioquin de litteris colendis meritissimi, viris doctis praebuerant, subsidiis mirum in modum florebat. Quae philosophia antiqua, suo ipsius judicio utens, protulerat, philosophi commentariis illustrabant, explicabant, comparabant, commiscebant, compilabant [1]). Romani quidem philosophiam graecam secuti erant, eligebant vero e variis Graecorum systematibus philosophicis quaedam placita va-

---

1) Cf. Heyne, de genio saeculi Ptolem. I, c Matter, essai historique sur l'ecole d'Alexandrie, Tom. II

riasque philosophorum sententias commiscebant et explicabant: proprium enim philosophandi ingenium iis non erat, praecipue cum deleta reipublicae forma novae res politicae illud non adjuvarent. Luxus, rerum suarum studium, torpor a Roma longe lateque emanabat: cultus Deorum patrius contemnebatur, superstitia, impietas increbescebat. Hoc tempore religio christiana apparet, late volgatur ingentemque animorum motum efficit. Cognitionem altiorem, qua philosophia orientalis et graeca atque ipsi Judaei, philosophiam cum orientalem et graecam cum religione judaica conjunxissent, gloriabantur, nondum esse perfectam, nonnulli cognoverunt. Hanc vero contenderunt, nec religionem christianam praebere, quae hominis mentem liberam nimis carceret ac quaestiones quasdam et morum corruptela tum magna denuo excitatas et religione christiana ipsa demum ortas omnino non solveret. Religio cum christiana Deum perfectissimum, benignissimum et sapientissimum creasse hominem doceret, quaerebant, unde malum, quomodo mundus ortus esset, unde mundus imperfectus, cum Deus perfectissimus ejus auctor haberetur: quomodo transitus ab infinito ad finitum cogitandus, unde hominum diversitas esset, quamnam rationem Judaeorum Deus et Christianorum Deus inter se haberent. Has quaestiones se solvere posse seque solos scientiam perfectam possidere Gnostici, qui primo aerae christianae saeculo apparuerunt ac maxime saeculo secundo florebant 1), contenderunt. Et

---

1) Etiamsi Simonem Magum, Apostolorum aetate viventem ex Patrum Ecclesiast. sententiis Gnosticorum parentem statuere nolumus, cum tamen Gnosticis adnumeramus, quia ejus sapientiae summa in cognitione numinis supremi rerumque divinarum versabatur. Praecipue Simonianorum secta, quae a Simone

Ethnicorum philosophiae et Judaeorum ac Christianorum religioni veri quiddam inesse Gnostici negare non potuerunt: Judaei, veritatem quaerentes atque ingenium suum excolere cunantes, varia et philosophiae et religionis suae dogmata miscuerant: philosophi quoque graeci et romani varia systemata conjungere studebant; quid igitur mirum, quod illa commixtio adhuc augeretur, cum religione christiana ingenii recolendi nova data essset causa? Quae vero commixtio neque erat arbitraria vel fortuita, neque sola philosophandi ratione, qualis eo tempore orta erat, imo potius mentis necessitate effecta. Cum enim Gnostici philosophiam ac religionem veram penes se solos esse affirmarent, hanc vero ex se ipsis non haurire, nec philosophiae graecae et orientali ac Judaeorum et Christianorum religioni veri qaiddam inesse negare possent: praecipue autem cum mentis humanae veritatem integram adhuc nondum repertam quaerendi studio satisfacere vellent: diversa et philosophiae et religionum dogmata commiscere cogebantur. Philosophia gnostica ita considerata, ingenii excolendi et philosophandi rationi, quam exposuimus, necessario sese adjungit, ac proprium philosophandi genus apparet.

§. 23.

Qnodsi antem nostram philosophiae gnosticae expositionem respicimus, sententias orientales i. e. In-

Mago condita esse dicitur, id demonstrat. De Deo tanquam luce primaria, de virtutibus, quae ex illo emanarunt, de mundo intelligibili, Persarum more statuunt. Simon Magus se ipsum et Helenam uxorem virtutes a Deo profectas habuit. Cf. Neand. genet. Entw. etc. p. 338. Baur l. c. p. 302 sqq. Cerinthum, Gnosticum, Joannis apostoli aequalem fuisse constat. Cf. Neand. Kirchengesch. I, 2, 672.

dorum et Persarum, graecas, judaicas et christianas inter se conjunctas videmus. Has propagatas fuisse demonstravimus: idem ostendit et philosophia Neo-Platonica, quae Gnosticorum temporibus oriri coepit ac philosophiam Platonicam cum orientali conjunxit, et philosophia cabbalistica, quae ipsa Gnosticorum temporibus in lucem prodiit [1]) ac praecipue Persarum doctrinam religioni judaicae immiscuit. Clemens Alexandrinus, qui jam saeculo p. Chr. secundo vixit, orientales de mundo invisibili speculationes Jesu Christi tempore magnam obtinuisse auctoritatem dicit [2]). Imperium quoque romanum, ut jam annotavimus, populorum conjunctionem magnopere adjuvabat. Itaque Clemens Alexandrinus dicere potuit, Indorum philosophiam esse pervulgatam [3]). Bardesanem ipsum, Gnosticum, in Indiam, Brachmanum sapientiam cognitum, profectum esse exploratum est [4]). Gnostici ad traditionem, quae ad tempora vetustissima pertineat, provocant [5]); etiamsi arcani Zoroastris libri, quos possidere gloriabantur [6]), sunt subditicii, philosophiam tamen orientalem tum vulgatam et Gnosticis notam fuisse

1) Quia Cabbala p. Chr. demum orta sit, dubitari nequit: Philo enim et Josephus ejus nullam faciunt mentionem.

2) Cf. Stark, Kirchengesch d. 1sten Jahrh. I. 243 sqq. —

3) Clem. Alexandr. p. 738. ed. Potter: Ἰνδῶν δὲ ἡ φιλοσοφία καὶ αὐτῶν διαβεβόηται.

4) Euseb. praep. ev. VI. 10. Bardesanes narrat, multa Brachmanum millia nullas imagines coluisse, sed in Deum solum animum intendisse (προσέχοντες τῷ θεῷ). Porphyr. de abst. IV 18. Clem. Alex. p. 371. ed. Potter. Servius ad Virg. Aen. II. 68. — Bohl. l. c. I. 378.

5) Staeudlin, Sittenlehre Jesu. II. 213 455 sqq. —

6) Clem. Alex. strom. I. 304. III. 438. VII. — Porph. vit. Plot. c. XVII. ap. Fabric. bibl. gr. IV 148.

demonstrant. Porphyrius Gnosticos philosophiae antiquae fuisse sectatores (ἐκ τῆς (παλαιᾶς φιλοσοφίας ἀνηγμένοι scribit [1]); quam philosophiam antiquam esse orientalem, ex illo loco clare sequitur [2]).

Gnosticorum dogmata non demum sub finem primi p. Chr. saeculi vel secundo saeculo apparuisse, sed jam Apostolorum aetate fuisse propagata, ex novo testamento clare liquet. Paulus (1 Timoth. 1, 4.) admonet Timotheum, ut remaneat Ephesi et praecipiat nonnullis, ne aliena doceant, neve ad fabulas et stemmata infinita attendant, quibus verbis apostolus Gnosticorum de aeonibus doctrinam significat; 1 Timoth. 6, 20. scribit: depositum serva, profanas devitans falsae sapientiae (ψευδωνύμου γνώσεως) de rebus inanibus disputationes et oppositiones (lumen-tenebrae, finitum-infinitum, spiritus-materia, ut Gnosticorum doctrina ostendit). Clemens Alexandrinus narrat, Gnosticos posteriores epistolam ad Timotheum scriptam, quod ea, quae in illa continerentur, in se ipsos dicta putassent, repudiasse [3]). In epistala ad Titum (1, 14.) Apostolus eum admonet, ut caveat, ne attendant Christiani fabulis judaicis, quas, ut vidimus, Judaei religioni miscuerant. In 1 Joh. 2, 4, 13. 14. saepius commemorantur, qui se Deum intellexisse, quod Gnostici contendebant, gloriarentur. Imprimis Ephesi philosophemata orientalia pernota erant. Propterea in evangelio, quod Johannes in illa urbe scripsit et quo etiam opiniones falsas longe sparsas refutare voluit, aeonum Gnosticorum nomina (λόγος, μονογενής, ζωή)

1) Porphyr. l. c.

2) Brucker. hist. crit. philos. Tom II. c. 3.

3) Clem. Alex. strom. II. 380

reperiuntur [1]). Apollo, vir doctus, Alexandria, ubi sententiae orientales et graecae magnopere commixtae erant, Ephesum venit et mox auctor cujusdam sectae factus est (1 Cor. 3, 4.). Quid igitur mirum, Cerinthum sectam gnosticam ibi constituisse? — Etiamsi in novo testamento ullius Gnosticorum sectae non fit mentio, Gnosticorum tamen placita propagata esse animadvertimus.

§. 24.

Jam adhuc superest, ut demonstremus, num re vera varia elementa, quae inesse philosophiae gnosticae docuimus, in ea contineantur, cujus sint momenti et qua ratione inter se cohaereant. — Omnia Gnosticorum systemata ordiuntur a notione Dei, cujus considerandi studio eorum mentes prorsus occupabantur. Deus vero, aeternus, omnino bonus et beatus, quum spiritus sit absolutus, infinitus, profundo, quod attinet ad essentiam, mysterio abditus, non ullam per se habet rationem ad finitum. Haec Dei notio, quae jam in Indorum et Zoroastris philosophia, tum in multorum populorum veterum doctrina partim enunciata erat, a Platone clare expressa et amplificata atque a Judaeis excepta usque ad Gnosticos prodita est. Cogitatio autem Gnosticorum, Deum lucis purissimae symbolo esse percipiendum, ab Orientalibus inventa, postea ad Judaeos venerat et Gnosticorum tempore erat vulgata. Deum, quamvis quidem profundo mysterio reconditus sit, eximia tamen mentis elatione comprehendi posse, Gnostici putabant: quae contemplatio mystica ab Indis jam tradita, a Judaeis, ut Philonis doctrina ostenderat, ex-

1) Horn l. c. p. 84 sqq. —

cepta, Gnosticorum tempore nota erat. — Hanc contemplationis mysticae doctrinam Gnostici, quo magis prae ceteris sublimiori Dei cognitione excellere studebant, eo libentius receperunt. Cum vero Deum talem statuerent, in speculationes incidebant. Quaerebatur enim, quomodo ab infinito ad finitum transitus explicandus sit. Dogma antiquum, ex nihilo nihil fieri, proponentes, emanationem docuerunt. E Deo emanant aeonum varii ordines, qui mundum intelligibilem, idealem efficiunt: hi a Gnosticis virtutes vel attributa, quibus Deus manifestatur, aut ipsius conscius fit ac numen certum se ostendit, ponuntur. Emanationis doctrina, ut vidimus, antiquissimis jam temporibus in Oriente tradita, per populos orientales usque ad Gnosticorum aetatem se propagaverat. Philo omnium Dei virtutum summam, λόγον, spectat, Gnostici Dei virtutes singulas ponunt: hi autem et ille aeones non solum habent virtutes et attributa sed etiam Dei absconditi ideas, secundum quas mundus formatus sit, ut Plato docuit [1]. Gnostici cum

---

1) Tertull. de anim. c. 18. Vult Plato, esse quasdam substantias invisibiles, incorporales supermundiales, divinas et aeternas, quas apellat ideas, i. e. formas, exemplares et causas naturalium istorum manifestorum, et subjacentium corporalibus sensibus, et illas quidem esse veritates, haec autem imagines eorum. Relucentne jam haeretica semina Gnosticorum et Valentinianorum? Hinc enim accipiunt differentiam corporalium sensuum, et intellectualium virium, quam etiam parabolae decem virginum adtemperant, ut quinque stultae sensus corporales figuraverint, stultos videlicet, quia decepui faciles, sapientes autem intellectualium virium notam expresserint, sapientium videlicet, quia contingentium veritatem illam arcanam et supernam et apud pleroma constitutam haereticarum idearum sacramenta, hae enim sunt αἰῶνες et genealogiae illorum. Itaque et sensum dividunt: et intellectualibus quidem a spirituali suo

Philone has ideas, virtutes et attributa, tanquam substantias et personas proprias, spiritus proprios, quorum singuli repraesentant totam Dei essentiam ex diversis partibus, proponunt: quare omnino philosophiae orientali se adjungunt. Ex emanationis notione Gnostici, ut Buddhaismus, aeones, quo magis a Deo se removerent, eo magis degenerare docuerunt. Quaestio, quomodo Deus mundi, qui tantopere ab ipso differret, creator esset, facile solvebatur. Unum enim, dixerunt Gnostici, ex aeonibus inferioribus esse mundi creatorem, qui, natura debilis, mundum ipsum imperfectum procreare posset. Nihilominus Valentinum hunc mundum Dei vel mundi intelligibilis imaginem [1]) appellare, ex eo declarandum est, quod mundi creator, Dei instrumentum inscium, ad formas ex mundo intelligibili acceptas mundum sensibilem formasse dicitur. Perspicue apparet hoc in praecepto vis Platonis, qui mundum idearum imaginem a Deo creatam statuit. — Magnum autem Gnostici cum discrimen inter Deum in vetere testamento revelatum et inter Deum in novo testamento manifestatum observarent, illum demiurgum Judaeorum Deum esse ac vetus testamentum ejus manifestationem, ut Philo jam dixit, putabant. Quo magis Gnosticorum singuli religioni judaicae addicti erant, eo meliorem demiurgum statuerunt. Hunc, dicunt Gnostici, mundum e materia formasse — Sed quaestio non-

---

semine, sensualibus vero ab animali, quia spiritualia nullo modo capiat. Et illius quidem esse invisibilia, hujus vero visibilia, et humilia et temporalia, quae sensu conveniuntur, in imaginibus constituta.

1) Tert. l. c. — Iren. I. 1, 2. πάντα γὰρ ταῦτα τύπους ἐκείνων εἶναι λέγουσιν Iren. II, 7, 1: extra Pleroma imagines dicunt factas esse eorum, qui sunt intra Pleroma. Clem. Alex. strom. IV. 509.

dum explanata erat, quæ Gnostici vehementer movebantur [1]), gravissima, unde sit malum: in Deo cum non positum sit, materia ejus fons habita est. Materiae notionem a Philone, qui eam perturbatione plenam habuit, propositam Gnostici amplificarunt. Ita Dei et materiae, spiritus et materiae oppositio orta est, quae, prout materiae notio evolvebatur, apud alios major, apud alios minor apparet. Valentinus Alexandrinus dixit, materiam sine forma, ut Plato, sine corpore, non aeternam sed tempore doloribus alicujus aeonis (Sophia Achamoth), qui a Deo defecerit, ortam sensim corpoream et animatam factam [2]) esse; sic animatam produxisse Satanam, qui ipsam repraesentans principium diruens ageret. Bardesanes autem, Tatianus, Ophitae [3]) statuerunt, materiam esse aeternam et forma carentem [4]), sicut Plato, tempore demum hoc modo animatam, ut aeonis (σοφία) defectione aliquod divinum susciperet, et ita Satanam et alia animantia mala procreasse. Plurimi denique, materiam esse aeternam, ab aeterno agentem, tenebrarum regnum a Satana, principio malum creante et

1) Tertull. de praescript. haer. C. VII: Eaedem materiae apud haereticos et philosophos volutantur, iidem retractatus explicantur, unde malum et quare? et unde homo et quomodo? — Euseb. hist. eccles. V. 27: πολυθρύλλητον παρὰ τοῖς αἱρεσιώταις ζήτημα τὸ πόθεν ἡ κακία;.

2) Iren. I. 4. 5: συγχέαι καὶ πῆξαι, καὶ ἐξ ἀσωμάτου πάθους εἰς ἀσώματον τὴν ὕλην μεταβαλεῖν αὐτά, εἶθ' οὕτως ἐπιτηδειότητα καὶ φύσιν ἐμπεποιηκέναι αὐτοῖς, ὥστε εἰς συγκρίματα καὶ σώματα ἐλθεῖν.

3) Iren. I. 30. 34 — Epiph. haer 37. — Theodoret. haer. fab. I 14. Cf. Mosh. Versuch einer unpartheiischen Ketzergesch. Helmst. 1746. Neand. Kirchengesch. I. 2. 746 sqq. 762 643 Baur l. c 171 sqq. —

4) Ideo Bardesanes, Tatianus, Ophitae, Valentinus materiam χάος, κένωμα, κενόν appellant

spargente, gubernatum, Deo obnitentem dixerunt. Intelligimus igitur, apud omnes Gnosticos dualismum inveniri, qui in Valentini doctrina Platonis philosophia temperatus, magis ad Indorum morem in Bardesanis et Ophitarum placitis auctus, apud plurimos, ut in Zoroastris philosophia, absolutus apparet. — Mundus divini et materiae commixtione aut Dei injussu, cum aeon ab eo deficeret et quod regnum sibi habere vellet, contra eum exsurgeret, aut Deo permittente, ut animae ex lucis et tenebrarum permixtione, quae oriebatur harum in illam impetu, eriperentur, creatus est. Hoc modo bonum et malum, quod in mundo reperitur, facile explicatum evadit. — Ut mundum, Gnostici contendebant, sic corpus humanum e materia a demiurgo formatum esse et mali sedem habendum: animam autem secundum Platonem et Philonem duplicem esse; animam (ψυχήν), qua sentiamus et vivimus, a demiurgo originem habentem, ideaque malam aut imbecillam: animam (πνεῦμα), ratione praeditam, a Deo supremo jam ante mundi creationem profectam, ideoque bonam: ita homines quoque diversos esse, meliores, qui magis hanc, pejores, qui magis illam sequerentur. In corpus autem deferri animam coelestem (πνεῦμα), ut poena culpae in priori vita commissae lueretur: id quod jam antiquissimis temporibus, praecipue a Platone [1]), pronunciatum erat. — Ut anima coelestis a materiae et mundi opificis vinculis liberaretur et summus Deus hominibus revelaretur, Christum supremam Dei virtutem vel ex aeonibus superioribus unum (νοῦς, λόγος) e mundo intelligibili a Deo supremo in terram missum esse: quod Christus corpus e materia, mali sede, formatum

1) Plat. Tim. Phaed. et loc. supr. cit.

accipere non posset, alii, cum umbra et corpore imaginario (ut jam similia in Buddhaismo et apud Philonem inveniuntur [1]), alii, corpore coelesti et aethereo vestitum esse, dixerunt, alii Jesum hominem a Christo, qui cum illo se conjunxerat, distinxerunt. Deus autem secundum Gnosticorum doctrinam spiritus idem absolutus et per demurgum et per Christum manifestatur: in hoc religio christiana, in illo religio judaica, in materia (ὕλη) Ethnicorum errores occurrunt: omnes, qui aeonem supremum sequuntur, pneumatici (πνευματικοί), qui aeonem inferiorem, psychici (ψυχικοί), qui Ethnicorum errores, materiales (ὑλικοί), sunt. Anima coelestis, id quod Indi, praecipue Buddha, Plato, Philo, ut a materia se liberet, ad Deum sese efferat, Deum intelligat, in mundum superiorem redeat, Christo adjuvante jam hoc nostro in mundo conari debet. Itaque nonnulli vitam contemplativam et asceticam degebant, alii, qui animam coelestem materiae expertem, putabant, libidinibus ac flagitiis dediti erant. — Animae coelestes, cum materia certamine morte finito, in mundum intelligibilem, ad lucem primariam redeunt ibique plane sui consciae fiunt, ut Zoroastres jam docuit: eorum autem animae, qui in hac vita a materia se nondum liberarunt, neque ad Dei supremi scientiam pervenerunt, necessario, priusquam ad illam lucem veniunt, ut Indis quoque placet, purgationem sustinere coguntur. — Finem omnium extremum, dicunt Gnostici, idem quod Zoroastres, talem

---

1) Josephus quoque de angelorum apparitionibus dicit sicut Philo. Joseph. arch I 11, 2. V. 6, 2. φαντάσματος δ' αὐτῷ (Gideoni) παραστάντος νεανίσκου μορφῇ.

fore, ut bono malum, regno lucis tenebrarum regnum vincatur. [1]).

Argumentum igitur philosophiae gnosticae consistit in summis, quae mente Gnosticorum in gravissimis speculationibus versante provocabantur, principiis et oppositis; Dei et mundi, spiritus et materiae, boni et mali, peccati et redemtionis, lapsus et reditus. — Diversissima elementa in philosophia gnostica continentur: orientalia i. e. Brahmaismi, Buddhae, Zoroastris doctrinae, graeca imprimis Platonica, praeterea theologiae Judaeorum praecipue Philonis philosophicae, religionis judaicae et christianae. Quum autem in philosophia gnostica multa diversa elementa inveniantur, difficile est dictu, in quasnam classes Gnostici dividendi sint. Ex mea quidem sententia in tres partes discedunt: sunt ii, qui magis philosophiam orientalem (Pseudo Basilidiani, Saturninus, Carpocrates, Setiani, Kamitae), ii, qui magis philosophiam Platonicam (Valentinus, Bardesanes, Tatianus, Ophitae) sequuntur: ii denique, qui inter philosophiam orientalem et Platonicam intercedunt. (Marcion, qui religionem judaicam magis illustrat). — Omnino philosophia Zoroastris et contemplatio orientalis apud Gnosticos Syriacos, emanationis doctrina, philosophia Platonis, speculatio graeca apud Gnosticos Alexandrinos praevalet.

Ex tota disquisitione a nobis instituta apparet, antiquissimis jam temporibus scientiam Dei rerumque divinarum subliniorem (γνῶσις) exstitisse, philosophia graeca imprimis Platonica amplificatam, Alexandriae religione judaica auctam. do-

---

1) Fere omnes Gnosticos interpretatione sacrorum librorum allegorica usos esse ac discrimen inter doctrinam publicam et arcanam statuisse, id quoque ad antiquitatem respicit

ctrina christiana a Gnosticis maxime illustratam, verum systema constitutam et γνῶσιν κατ' ἐξοχὴν appellatam esse. Philosophia gnostica est religionis philosophia in speculationibus posita, philosophiam orientalem et graecam, religionem judaicam et christianam repraesentans et conjungens: simul, qua ratione mens humana religionem et philosophiam spectans ab antiquissimis temporibus usque ad Gnosticorum aetatem excoluerit, clare ostendit: ideoque, totam antiquitatem amplectens, maximi momenti elucet.
